JURIS NATURAE
AC GENTIUM
ELEMENTA.

Digitized by Google

Digitized by Google

JURIS NATURAE AC GENTIUM ELEMENTA

AUCTORE

ANTONIO DE MARTIIS

IN USUM SUORUM AUDITORUM

Mathematicum in morem adornata.

PARS PRIMA

JURIS NATURAE.

B. R.

NEAPOLI
EX OFFICINA MANFREDIANA
CUM PUBLICA VENIA.

MDCCXCV.

Digitized by Google

Hae ſunt inde (a Deo) *ad nos miſſae leges , haec praecepta : horum interpretem fieri oportet , his obedientem ; non Maſſurii , aut Caſſii legibus.*

Epictetus apud Arrianum Diſſert. IV.

Illuſtriſſimus & Reverendiſſimus Dominus D. Aloyſius Canonicus Elefante S. Th. Prof. revideat, & in ſcriptis referat. Die 14. Aprilis 1795.

PASCALIS EPISCOPUS THIENENSIS V. G.

JOSEPH ARCHIEPISCOPUS NICOSIENSIS C. D.

UT tua juſſa facerem, Princeps Eminentiſſime, quam lubentiſſime perlegi Opuſculum inſcriptum *Juris Naturæ, & Gentium, Auctore Antonio de Martiis*. Quae hominem natura docuit officia, Auctor praeclariſſimus, quem omnes in re praeſertim philoſophica maximi faciunt, tanta facilitate, atque rationum vi ediſſerere ſtuduit, ut ſi ea attente verſarint juris naturae Amatores, nihil erit, quod eos hac in re non aſſequi poſſe putem; ac licet ea, quae diſſerit, diligentiſſime percurrerim, nuſquam incidi in aliquid, quod fidei, morumque doctrinae adverſetur, quin immo cum iis, quae Catholica tuetur Eccleſia mirifice conſentire omnia animadverti. Appoſite tandem nonnulla adjecit laudatus Auctor Selectiora argumenta, quae percelebrem de falſiloquio, & modica uſura (quam a Locupletibus aliqui per ſummam inſcitiam exigi poſſe ſentiunt) quaeſtionem omnino dirimunt; eo ſiquidem rationum robore utrumque cum naturali jure prorſus pugnare oſtendit, ut merito quiſque neminem ipſo juris naturae peritiorem eſſe ferme dixerit. Quae cum ita ſint, Opu-

ſculum, quod publico erit emolumento, typis edi poſſe cenſeo

Eminentiae veſtrae

Datum Neapoli 30. Julii an. 1795.

Obſequentiſſimus Humiliſſimus
Aloyſius Canonicus Elefante.

Attenta relatione Domini Reviſoris imprimatur. Die 10. *Auguſti* 1795.

PASCALIS EPISCOPUS THIENENSIS V. G.
JOSEPH ARCHIEPISCOPUS NICOSIENSIS C. D.

V. J. D. D. Vincentius de Luca in hac Regia Studiorum Univerſitate Profeſſor revideat autographum enunciati operis, cui ſe ſubſcribat ad finem revidendi ante publicationem, num exemplaria imprimenda concordent ad formam Regalium ordinum, & in ſcriptis referat potiſſimum, ſi quidquam in eo occurrat, quod Regiis juribus, boniſque moribus adverſetur, & ſi merito typis mandari poſſit. Ac pro executione Regalium ordinum idem Reviſor cum ſua relatione ad nos directe tranſmittat etiam autographum ad finem. Datum Neapoli die 3. *menſis Junii* 1795.

FR. ALB. ARCHIEP. COLOSS. C. M.

S. R. M.

QUod diu multumque exoptatum fuerat, ut in juriſprudentiae naturalis inſtitutionibus ea philoſophandi ratio conferretur, quae & ad juris principia ſolidius firmanda, & ad officiorum praecepta accuratius deducenda apta ſatis foret & opportuna, id quidem in opere, cui titulus: *Juris Naturalis, & Gentium elementa*, mira felicitate praeſtitit Vir clariſſimus *Antonius de Martiis*, qui univerſum legum naturalium ſiſtema ex ordine Coſmico, mutuiſque rerum nexibus deſcriptum, ab ipſa natura, ejuſque Auctore Sapientiſſimo derivatum tam clara concinnaque methodo exhibet, ut quid unumquemque deceat, dedeceatque, quaeque ſint adverſus Deum O. M., noſmet ipſos, & alios officia, facile quiſque noverit. Opus ſane praeclarum, & ſuo Auctore dignum eſt, quod cum Sacrae Majeſtatis jura nulla in parte imminuat, nec bonos mores attentet, ni ſecus Majeſtas tua jubeat, e re publica futurum cenſeo, ut in lucem emittatur. Neapoli Pridie Kalendas Julias 1795.

Addictiſs. Obſequentiſs.
Vincentius Maria de Luca.

Die 11. *Menſis Auguſti* 1795. *Neapoli.*

Viſo reſcripto ſuae Regalis Majeſtatis ſub die 1. *currentis menſis & anni, ac relatione D. Vincentii Mariae de Luca de Commiſſione Rev. Regii Cappellani Majoris, ordine praefatae Regalis Majeſtatis.*

 Re-

Regalis Camera S. Clarae providet, decernit, atque mandat, quod imprimatur cum inſerta forma praeſentis ſupplicis libelli ac approbationis dicti Reviſoris. Verum non publicetur niſi per ipſum Reviſorem, facta iterum reviſione affirmetur, quod Concordat, ſervata forma Regalium ordinum, ac etiam in publicatione ſervetur Regia Pragmatica. Hoc ſuum &c.

TARGIANI. PECCHENEDA. BISOGNO.

V. F. R. C.

Ill. March. Mazzocchi Praeſ. S. R. C., & caeteri Ill. Aular. Praefect. tempore ſubſcript. impediti.

PASQUALI.

BRE-

BREVIS DIATRIBA

In qua de uſuris, ac falſiloquio ſuum dat ſuffragium auctor ab amico interrogatus.

1. FOrte fortuna ad noſtras pervenit aures ſparſus falſo rumor, contineri ſcilicet in noſtris inſtitutionibus parum ſanas doctrinas, quae uſuras, & falſiloquium reſpiciunt. Graviſſimis viris, meique amantiſſimis valde diſplicuit meo nomini a quibuſdam nebulonibus labem inferri: ego vero inanes iſtorum voces contempſi; illis cumulatas ago gratias, ſi poſſem, etiam referrem; mei tantum inſtituti dabo rationes, paucisque hoc expediam. Ita fui ſemper animo comparatus, ut in morum diſciplina a noſtris Theologis, praecipue vero a D. Thoma ne latum quidem unguem abſcedere decreverim; itaque ne ſomniando quidem in mentem mihi venire poterat, modicas uſuras, falſaſque loquutiones naturali jure eſſe permiſſas: utramque vero quaeſtionem, fatentibus primi ſubſellii Theologis, dogmaticam haud eſſe cenſui; quare & eamdem *problematice*, ut ajunt, pertractari poſſe fui perſuaſus: fortaſſis imprudenter id feci; quod ſi factum, veniam mihi dabunt viri graviſſimi, quorum judicia uſque reveritus fui, ac revereor.

2. Uſuras quod ſpectat, audiatur infenſiſſimus earum oſor, in re Chriſtianorum publica optime meritus Daniel Concina in opere, cui titulus *Eſpoſizione del Dogma intorno l' uſura* „. In „ queſto libro, in cui i diritti della natural ra-

„ gio-

„ gione ſi chiamano a diſamina, d'una maniera
„ aſſai più indifferente parlar conviene. In due
„ guiſe ſi può dell' umane azioni favellare, per-
„ chè ſotto due rapporti ſi può l' uom conſide-
„ rare, cioè come membro della civile ſocie-
„ tà, e come ſuddito del Vangelo. Or che gli
„ avverſarj vogliono per lecite e oneſte diſen-
„ dere le moderate uſure per rapporto all'uomo
„ conſiderato come membro della civile ſocie-
„ tà, è punto diſputabile, ed è una cauſa che
„ non ſi può con tanta facilità condannare. Le
„ menti umane ſono così differenti, che quella
„ ragione, che a me ſembra evidente, ad un'
„ altro pare dubbia, o falſa. Perlocchè con
„ grande indifferenza conviene in queſto genere
„ diſputare. Concinae praeiverat clariſſimus Nicolius in opere, cui titulus, *trattàto ſu l' uſura*, ubi inter alia quamplurima pag. 130. Venetae editionis ita ait „: ſiccome queſt' aſſoluta proi-
„ bizione di qualunque uſura è una legge aſſai
„ perfetta e ſublime, non poſſiamo che aſſai dif-
„ ficilmente arrivarci co' noſtri penſieri; *& pag.*
„ 140. Biſogna confeſſare con Gerſone, che le
„ ragioni tratte dalla Filoſofia non ſono ſuffi-
„ cienti a convincere un critico, che voglia op-
„ porre il diſcorſo a diſcorſo. Dat etiam Gerſonis verba *in tract. de contract. conſiderat.* 13. His adjici poteſt antiquus Theologus Major in 4. *diſt. XV. q.* 29.: *nec eſt valde evidens, quod omnis uſura eſt contra legem naturalem*. His fretus auctoritatibus utriuſque partis rationes expoſui, quin alterutri ſuffragarer; nunc vero ſubjectis propoſitionibus mentem meam candide aperiam.

PRO-

P R O P. I.

Quaevis uſurae ſpecies naturali jure eſt vetita.

3. Nam I. uſura non aliud eſt, niſi pretium uſus: in re autem quavis fungibili, cujus uſus in abuſu conſiſtit, ſiquidem rei ſimul, ejuſque uſus pretia quaeruntur, jam quaeritur rei non extantis atque conſumtae pretium, nempe nihili quaeritur pretium: quod iniquum, injuſtumque eſſe liquet. Sane ea eſt dictae rei fungibilis indoles, ut ea uti nequeamus, quin & eadem abutamur, *phyſice*, ut in frumento, oleo, vino; aut *moraliter*, ut in pecunia, quae nonniſi permutationibus eſt deſtinata. Nonne igitur iniquiſſimus eſſet, qui mihi frumentum ea lege venderet, ut & ipſius frumenti, tum & ejuſdem abuſus pretium eſſet mihi perſolvendum? D. Thomae eſt hoc argumentum 2. 2. *q.* 78. *art.* 1.

C O R O L L A R I A.

4. I. Quaevis uſura juſtitiae adverſatur. II. nihil injuſtum vere utile eſſe poteſt; uſurae igitur utiles eſſe nequeunt. Fruſtra igitur exaggerantur uſurarum utilitates: nam & quot earum damna? *vota eorum, qui perierunt, ubi ſunt?* belle ait ſapiens quidam, quum in Æſculapii templo eorum vota perſpexiſſet, qui ſanitati fuerant reſtituti. Id prorſus praevidit, diſſolvitque S. Baſilius *Homil. in Pſalm. XIV.*, ubi primum ſibi objicit, *ſed multi ex foenore, inquis, divites facti ſunt;* ſtatimque ſubdit, *plures ob hoc magis puto ſe laqueis implicarunt. Tu divites factos reſpicis; eos vero, qui ſibi praefocarunt gulam, non numeras*. Proferri ſolent peculiares quaedam

ſpe-

ſpecies (§. 385.) , in quibus fucatae utilitates portendi videntur : at quia communis utilitas Lege reſpicitur , quaenam futura ſit vera totius humani generis utilitas , ſolius ſummi imperantis Dei eſt definire. Quod ſi politicis legibus illae permittuntur , ad potiora mala auferenda id factum: ſecus meretricium, rerumque furto ablatarum venditiones in publicis nundinis inſtitutatae honeſtati conſentirent , quia publicis Legibus permittuntur.

5. II. Mutuorum contractibus rerum dominia transferuntur (§. 381.) : at ſolius domini eſt rei ſuae commoda aeque ferre ac incommoda ; nihil itaque juris ſupereſt mutuanti , unde aliquid commoditatis ex mutuata re colligere queat . Neque mutuantis incommoda agglomerare quidquam juvat : ea ſiquidem mutui beneficio implicantur , ac mutuatario nota eſſe debent . Sane maximum in commodato incommodum illud eſt , quod ſi commodata res forte penes commodatarium perit, commodanti pereat, quamvis apud eumdem non fuiſſet interitura ; interim commodatum non deſinit eſſe gratuitum , ita ferente ejus natura (§. 364.); ſic & in mutuo ſua inſunt incommoda, licet ſit gratuitum. Demum ea eſt humanae ſocietatis indoles , ut lapidum fornicationi ſit perſimilis , caſura , niſi alius alium ſuſtineat officiorum mutatione, modo dando , modo accipiendo ; quare qui alias mutuo dederit, alias mutuo accipiet, ſuaque penſabuntur commodis incommoda . Atvero ſi quis non ſatis ſibi conſulens dederit mutuo , ſuas ſibi imprudentiae ſuae dabit poenas , nec idcirco ſua vendere poterit beneficia. Quid, ſi quis ſuam pecuniam , aliamve rem fungibilem alteri dederit contractu aliquo innominato *do ut des, do ut facias ?*

rias, aut depoſiti nomine? At vocabulorum mutatione rerum eſſentias non mutari ajo, atque ejuſmodi contractum non deſinere eſſe mutuum ſentio. Bene de foeneratoribus ait Nyſſenus: *Scelus ſuum pulchris obvelant nominibus Ethnicorum inſtar, qui Furias vocant Eumenides*, benevolas nimirum, quum tamen valde ſint malevolae.

COROLLARIUM.

6. Quoniam in *Mohatra* contractu uſurae implicantur (§. 394.), injuſtum eſſe liquet.

7. Quod ſi mutuum in pecunia inſtituatur, haec id habet proprii, quod quum ſui natura ſterilis prorſus ſit, fructum afferre nequit, quin commercio committatur; commiſſa vero commodum aeque ac incommodum, lucrum pariter atque detrimentum dare poteſt: qui autem dat foenori, lucrum commodumque unice referre intendit, quin ullum ſentiat detrimenti incommodique periculum; itaque contra rerum naturam contrahere intelligit; neque poteſt non eſſe iniquus ejuſmodi contractus.

8. Id vero ut evidentius liqueat, a foeneratore ſciſcitor, quare ſuam pecuniam non det in ſocietatem, unde majora ſperare lucra liceret? Nempe quia majora quoque pericula occurrunt: ſecus contra propria commoda laboraret; eſt itaque foenerator parvo lucro contentus, ut omnis periculi ſit immunis; atqui fructuoſa nequit eſſe pecunia, quin periculo fiat obnoxia ex demonſtratis; iniquum igitur omne foenus. Hinc vero trinum contractum (§. 444.) illicitum eſſe ſequitur. Hic quippe a ſocietate quidem incipit, quae tamen, aliis adpoſitis pactis, ſtatim deſtruitur (§. 429. 431.), nihilque aliud ſupereſt,

reſt, niſi certum lucrum ex pecunia ad tempus tradita, incertoque commercio commiſſa.

9. Atvero volenti mutuum ſub lege uſurarum accipere non fit injuria, inquies. Inepte. Nam qui ita accipit, id eo facit, quia ſine uſuris haud facile mutuum gratuitum reperit; quare *eſt ibi violentum mixtum*, uti ait D. Thomas, *quod habet locum, ubi aliqua imminet neceſſitas; ſicuti patet in eo, qui projicit merces in mare, ne periclitetur navis* Verum *quaecumque ſit voluntas recipientis ad uſuram, pecunia ultra ſortem accepta contrectatur invito domino ſaltem principali, ſcilicet Deo*, ait Gerſon de Contract. Conſid. 35. *Dominus omnium contradicit*, inquit Alex. de Hales de 7. praecept. *Cui vero injuriam inferimus, ſi a volentibus accipimus? Deo maxime, in quem, leges ejus infringens, contumelioſus reperieris*, ſcribit Cabaſilas in Orat. contra foenerat. Liquet ex dictis multo magis illicitum eſſe *anatociſmum* (§. 380.)

S C H O L I O N.

10. Uſurae itaque ethnico etiam homini ſunt vetitae, quum naturali jure prohibeantur. Vetari eas divino jure poſitivo nemo unus Catholicorum ambigere poteſt, uti conſtans eſt Theologorum omnium doctrina.

11. Ut in quaeſtione de Uſuris, ita & in altera de falſiloquio officioſo gerendum me cenſui, mecum reputans multos primi ſubſellii Patres pro falſiloquio ſtetiſſe, atque ab ipſo Auguſtino acerrimo ejus hoſte vocari hanc quaeſtionem *latebroſam, & inter doctos alternantem*; ita namque ſcribit ad Coſentium. Quod ſi vero meum proferre liceat ſuffragium, ſubjecta propoſitione id faciam.

PRO-

PROPOSITIO II.

Falſae loquutiones naturali jure vetantur.

12. Nam nihil tam naturae oppoſitum, quam perfidia; perfidus vero ille eſt, qui datam fidem non ſervat. Eſt autem ſermo inſtitutus ut loquentis verba internarum cogitationum ſint ſigna, nempe earum fidem faciant; qui ergo aliud loquitur, aliud mente gerit, fidem fallit, proinde eſt perfidus. 2. quoniam inſtituta ſunt verba, *non per quae ſe homines invicem fallant, ſed per quae in alterius quiſque notitiam cogitationes ſuas perferat*, uti ait Auguſtinus Enchir. 22., liquet, falſis quibuſque loquutionibus ordinem perverti: & aeterna Dei ratio nihil aliud praeſcribit, quam rerum ordinem conſervari, nullaque in parte intertubari (§. 27.). 3. Quum condiderit Deus homines ad ſui gloriam, ſuaſque commendandas perfectiones, non poteſt non prohibere quae ſuis perfectionibus adverſantur. Eſt autem Deus ſumme verax, ſummaeque veracitati falſa quaevis loquutio e diametro opponitur; non poteſt igitur Lege aeterna non prohiberi. S. Baſilii eſt hoc argumentum Reg. 76. necnon D. Auguſtini lib. 1. contr. mendac. cap. 8. Nec quidquam juverit excipere, non ſemper hominibus eſſe datum divinum veracitatis attributum imitari: aliud namque eſt Dei attributa haud imitari, aliud vero iiſdem adverſari; primum non ſemper nobis praeceptum, alterum continenter eſt vetitum (§. 498.). Conferatur D. Thomas 2. 2. q. 110. art. 3.

Co-

Corollarium.

13. Poſtremum hoc argumentum omnes praeripit adverſae partis cavillationes, quibus commoda in homines ex officioſis falſiloquiis derivantia amplificantur: vera an putata ea ſint, neſcio; illud certo ſcio, nullam noſtram utilitatem tantam eſſe poſſe, quae divinis juribus praejudicium inferre poſſit (§. 500.).

Scholion.

14. Non ſum neſcius, hac de re ab aliquibus S. Patrum fuiſſe ſubdubitatum: verum ii obiter loquuti ſunt, nec quaeſtionem ad incudem revocarunt: id vero fecerunt Auguſtinus, B. Thomas, ceterique omnes Doctores occidentales, quibus proinde adhaerendum cenſemus. Neque abnuit Genuenſis noſter, qui in opere de officiis, in ſuaque Diceoſina quodvis falſiloquium etiam officioſum, inter leves culpas refert.

15. Hactenus curioſitati tuae ſatisfeciſſe videor, amicorum ſuaviſſime: ſi quid noſti rectius iſtis, candidus imperti; ſi non, his utere mecum. Neque me palidoniam ceciniſſe dixeris; qui enim nihil certi aſſeruit, nihil definivit, quemadmodum ego feci; nihil quoque habet, quod retractare queat. Sinamus interim, aliquos ſycophantas mei nominis obtrectatores crocitare quae voluerint, atque catellorum more Lunae adlatrare. Plurimum me amato, & vale. *Dabam Idibus Julii* 1795.

JU-

JURIS NATURAE, AC GENTIUM
ELEMENTA.

1. EX quo Philoſophicas Inſtitutiones conſcribere decrevi, in ipſo operis limine ſtudioſae juventuti meam obligavi fidem, qua ultimo loco Juris Naturae ac Gentium Elementa evulgaturum pollicebar: modo fidem liberabo. At eccur tantae tenuere morae? Nimirum quia tantum otii haud mihi fuit abs rebus meis, ut in haec incumbere, qua decet ſedulitate, valerem; praeſertim quia quum ingraveſcente jam aetate in tuta otia recedere magis oporteret, novae negotiorum moles, curaeque graviores acceſſerunt: ſed durandum fuit, ne fidem fallere viderer. Rem itaque, Deo auſpice, adgredior, totumque opus duobus abſolvam libris: in primo Juris Naturae, in altero Juris Gentium Elementa enucleare curabo.

LIBER I.

JURIS NATURAE

ELEMENTA

CAP. I.

De Juris Naturae exiſtentia, & conſtitutione.

DEFINITIONES

I.

2. Legis *aeternae* nomine intelligo Dei rationem, ac voluntatem, qua rerum ordinem conſervari jubet, perturbari vetat.

SCHOLION.

3. De hac Lege loquitur Tullius (*lib.* 2. *de Leg. n.* 10), eamque ortam eſſe ait ſimul cum mente divina, ac tandem concludit: *quamobrem lex vera, atque princeps apta ad jubendum, & ad vetandum, ratio eſt recta ſummi Jovis*. Nempe rationis munus eſt *ordinare*, *ſanctio* autem voluntatis eſt propria. Videtis Mataphyſicae noſtrae (*Part.* 3. §. 39. 51. 73.).

II.

4. *Univerſalis Legis mundanae* nomine intelligo divinae ſapientiae rationem, qua factas res omnes dirigit, earumque motiones, atque actiones adminiſtrat, & ad fines ſuos optime deducit.

co-

COROLLARIUM.

5. Mundana Lex univerſalis eſt ipſa aeterna Lex factis rebus inſita, ac veluti chorda omnia vinciens ſuiſque aptans locis, & ad univerſalem finem ducens. Aeterna tamen Lege non modo factae res omnes, ſed & cuncta ſubſtantiarum poſſibilia ſyſtemata continentur (*Theol.Nat.*§.73.), ut proinde mundana Lex veluti aeternae Legis particula haberi debeat.

SCHOLION.

6. Dei rationem *Mundo*, *ejuſque partibus inſertam* pluribus diſputat Cicero loco laudato (*n.* 16.). Univerſalem eam Legem is tantum inficiari poteſt, qui Dei Providentiam negat; vel caſum, & fortunam adſciſcit.

III.

7. *Naturalis Legis* nomine eam intelligo, quam Deus univerſo generi humano per rectam rationem promulgavit; omnium ejuſmodi Legum complexio *Naturae Jus* vocatur; ejuſque Juris ſtudium *Juriſprudentiae Naturalis* nomine venit.

SCHOLION.

8. *Dei ratio in hominis mente confirmata*, & *confecta*, uti loquitur Tullius, ipſa eſt Lex naturalis; eaque eſt pars mundanae Legis, quae in rebus non intelligentibus machinaria eſt, in intelligentibus eſt moralis.

IV.

9. *Morale Dei imperium* illud eſſe intelligo, quo Deus liberas entium intelligentium actiones moderatur.

V.

10. *Naturale* , ſeu *phyſicum Dei imperium* illud eſt , quo Deus factam Naturam phyſicis Legibus adminiſtrat ; de eoque in tota noſtra Phyſica egimus , ſpeciatim in (*Part. I.*) , ubi motus theoriam enucleavimus.

AXIOMATA

I.

11. Rerum eſſentiae immobiles ſunt , neceſſariae, immutabiles (*Ontol.* §. 86. 87. 88.).

COROLLARIUM.

12. Veritates, ac notiones, quae rerum eſſentias reſpiciunt , immobiles , ac neceſſariae ſint oportet: ejuſmodi ſunt principia ſcientifica, theoremata geometrica, cetera.

AX. II.

13. Ab ipſis rerum eſſentiis neceſſariae quoque oriuntur relationes.

SCHOLION.

14. Ab eſſentia circuli , ac polygonae figurae in eo inſcriptae *e. g.* , hujus aream, ac perimetrum illius area , ac perimetro eſſe minorem neceſſario conſequitur ; bipedalem quantitatem ſemipedali eſſe majorem , ex earum eſſentiis neceſſario profluit ; hominem eſſe bruto praeſtantiorem , ex ipſis eorum eſſentiis neceſſitate derivatur.

COROL-

COROLLARIUM

15. Hinc & qui ab iiſdem neceſſariis eſſentiarum relationibus enaſcitur ordo, neceſſarius quoque, ac immobilis eſſe debet.

AX. III.

16. Interminata Dei mens infinite ſapiens ſemetipſum, & rerum eſſentias, ex iiſque emanantes veritates comprehendit (*Theol. Nat.* §. 40.): vel rectius, divina ipſa mens eſt id, quod his vocabulis, *notiones*, ac *veritates rerum omnium*, deſignantur (*Theol. Nat.* §. 36.).

SCHOLION.

17. Sane mens infinite ſapiens, ac potens quemadmodum ſemetipſam, ac poteſtatis ſuae plenitudinem, ita & rerum omnium quocumque modo poſſibilium formas, ac rationes comprehendat, neceſſe eſt.

COROLLARIA.

18. 1. Hominis ratio, quae in veritatibus univerſalibus, earumque nexibus cognoſcendis verſatur (*Pſych.* 183. 184.), immutabilis eſſe debet. Sane factae intelligentiae ſuas notiones, ac veritates ex divina intelligentia, tamquam a primo veritatum exemplari, hauriunt.
19. Hinc 2. & hominis ratio nonniſi interminatae Dei intelligentiae participatio eſt; ac ſi nulla foret mens princeps, nullus Deus, nullae quoque forent univerſales veritates, ac notiones.
20. Quare & 3. ubi de veritatibus univer-

ſalibus, earumque nexibus ſermo eſt, una eſt omnium hominum vox, una ſententia; nec aliud videre patres, videre nepotes.

SCHOLION.

21. Non ſecus ac quum mille homines ſolem ſimul intuentur, omnes rem unam eamdemque cernunt; vel quum populi concio unum auſcultat oratorem, omnes eamdem excipiunt vocem: ita innumeris mentibus creatis eaſdem veritates univerſales, atque immutabiles contemplantibus, perinde omnes afficiuntur, ac ſi unam aeternae Sapientiae, quae nunquam conticeſcit, vocem exaudirent.

A X. IV.

22. Deus immobili, atque immutabili regitur ſapientia (*Theol. nat.* §. 35. *& ſeqq.*).

SCHOLION.

23. Ad naturam divinam aeque pertinet ſapientia, ac voluntas: utra vero earum alteri pareat, ac veluti ſubjiciatur, facile eſt definire. Nam quum voluntas in ſe ſpectata nonniſi praelucente intelligentiae face quidvis eligat, nullaque ex parte definita ſit, ac determinata; vice normae fungi nequit: Sapientia vero res eſt plane determinata, atque immutabilis, ideoque per ſe naturam habet regulae. Quapropter voluntas, qua talis, tum demum perfecta erit, ac numeris omnibus abſoluta, quum a veritate, atque ſapientia gubernatur: idcirco in naturarum ordine ſapientiae natura voluntatis naturam praecedat, neceſſe eſt (*Theol. nat.* §. 51.). Divina

na itaque ſapientia Dei lex eſt, quae eidem utriuſque imperii ſui, *phyſici* nempe, ac *moralis* (§. 9. 10.) committit habenas. Rurſus quum Divinitatis conceptus tam arcte cum ſummae bonitatis conceptu nectatur, ac colligetur, ut Deus aliter intelligi nequeat, quin & infinita bonitas concipiatur: hinc & in naturarum ordine ſapientiae natura a bonitatis natura praecedi mihi videtur. Quare non ſine ratione veteres aliqui ſapientes aenigmate quodam utentes, Deum eſſe veluti infinitum circulum tradiderunt, cujus centrum ſit bonitas; radii, & area ſit ſapientia comprehendens omnia, & imnutabilis; exterior, atque interminata peripheria ſit voluntas infinite potens, viſque agendi, res omnes extra Deum producere, & procreare valens. Valde itaque circumſcribunt Dei notionem, qui ut naturam ex mera voluntate, ac potentia interminata, ideoque *irreſiſtibili*, conflatam concipiunt.

A X. V.

24. Juris naturalis principia in neceſſariis immobilibuſque veritatibus ſunt conſtituenda. Fluunt enim ex neceſſariis, quas homines inter ſe, atque ad Deum habent, relationibus.

SCHOLION.

25. Immutabiles neceſſariaeque inter nos, atque Deum intercedunt relationes: veluti eſſe Deum noſtrum omnium conditorem, a quo toti pendemus; Deum eſſe perfectiſſime bonum numeris omnibus abſolutum, quale quod neceſſario quodam pondere nos appetere pleniſſime convicti ſumus. Immobiles quoque nos inter, alioſque

A 4 ho-

homines interſunt relationes, utpote quae naturae ſimilitudini inaedificatae.

26. His in anteceſſum praeſtitutis veritatibus, exiſtentia alicujus juris univerſo hominum generi per rectam rationem promulgati facile demonſtratur. Cum enim ſit Deus ens, a quo tota pendet noſtra eſſentia, & exiſtentia, pleniſſimo in univerſum genus humanum gaudet dominio, ac juſtiſſimas habet obbedientiae, & obſequii exigendi rationes. Neque fingi poteſt creatura tantarum virium, quae ſemel a Deo producta, cogi deinde non poſſit, quippe quae ut manumiſſa haberetur, ceu viſum eſt Leibnitio in Ephemeridibus Hannoveranis: nam ſub creatore infinito & omnipotente manifeſtam involvit contradictionem creatura tantarum virium, quae amplius cogi nequeat; ac per manumiſſionem Dei dominio minime obnoxia. Neque ſuſpicari licet, Deum huic in homines dominio renunciaſſe: id namque tantundem impoſſibile eſt, quantum eſt impoſſibilis creatura a ſuo creatore minime dependens. Perfecto itaque jure homines obligandi potitur Deus.

27. Voluit vero Deus, imo & velle debuit univerſum genus hominum Lege aliqua obligare. Nam velle debet Deus rerum ordinem conſervari, quippe qui immobilis eſt, atque a neceſſariis eſſentiarum relationibus proficiſcitur (§. 12.), ac immobiliter in aeternis mentis divinae notionibus, tamquam in ſuo archetypo, praeluceſcit. At rerum ordo neceſſario requirit, ut Deo tamquam ſupremo noſtrum omnium Domino, a quo toti pendemus, ſummum obſequium, ſummam ſervitutem, ſummam fidelitatem debeamus: en officia noſtra circa Deum. Memetipſum contemplor, atque ineluctabili quodam pondere bonum proſequi, malum averſari intimitus

per-

perſentiſco: bonum itaque proſequendum, ac faciendum, averſandum vero malum, fundamentalis eſt Naturae lex. Rurſus me unum quaſi in duos eſſe tributum experior: eſt quippe in me natura molle quiddam, demiſſum, humile, enervatum quodammodo, ac languidum, in quo turbulenti eveniunt motus, jactationeſque incitatae, rationemque omnem repellentes; ſi nihil aliud, nihil eſſet me deformius. Sed cum meipſum attente perſpexero, totumque tentavero, divinum quodammodo aliquid me habere ſentio, cogitationis plenum ac rationis, cujus cetera ſunt omnia expertia. Rationem itaque veluti dominam omnium & reginam imperare illi debere, quod aegrum eſt, miſeriarum omnium fons, & caput, perſpicue convincor, niſi truncus ſim, ac ſtipes. Res alias extra me poſitas circumſpicio, ac reperio animalia mei ſimillima, homines nempe, iiſdem, ac ego, juribus atque indigentiis inſtructos. Atvero naturae aequalitas aequalia etiam exigit officia; neminem itaque eſſe laedendum, necnon cuique jus ſuum, ſi quod juſte adquiſivit, eſſe tribuendum, evidentiſſime conficio. En veluti in nucleo univerſum Naturae jus expreſſum, cunctis hominibus per rationem promulgatum, atque ex neceſſariis, quae nos inter, ac Deum, ceteroſque homines intercedunt, relationibus, quae ex ipſis rerum fluunt eſſentiis, derivatum.

28. Deinde negato naturali Jure, omne evellitur morale Dei imperium: id vero abſurdiſſimum eſſe conſtat. Nam 1. res quaelibet natura ad agendum deſtinata ſine legibus naturae ſuae convenientibus concipi nequit: idcirco corporeae res omnes motus Legibus ſubjiciuntur; bruta animantia ſenſationum, & appetitus legibus reguntur, necnon externorum objectorum impreſſionibus; igi-

igitur & liberis creaturis lex aliqua debet eſſe impoſita, qua propriae naturae convenienter agere teneantur. 2. ubi nulla obtinet lex, ibi inordinatio, chaos, & confuſio: tolle a mundano ſyſtemate phyſicas leges, jam omnis evaneſcit Univerſi decor, & pulchritudo; ſi itaque nulla eſt lex moralis, quae conſtanter humanas actiones moderatur, nulla quoque eſſet in humana vita conſtantia, nullum inter homines vinculum, concentus nullus, imo nulla ferme naturae ſimilitudo, quae ex uniformi earumdem Legum influxu in omnes omnium hominum voluntates oriri debet. 3. Si tanta eſt humani arbitrii licentia, ut nulli prorſus legi ſubjiciatur; poſſet homo pro ſua libertate ea proſequi, quae fuimet naturae adverſantur: nulla vero deterior conditio, nullus infelicior ſtatus excogitari poteſt, quam ille, in quo res quaepiam contra propriam naturam conſtituatur; eſſet itaque homo animal omnium miſerrimum, imo res omnium teterrima. Contra vero optimum, atque convenientiſſimum homini eſt non in tumultuario quodam ſtatu, ſed in pulcherrimo ordine degere, in quo rationes ſuas recte ſubducat, ſuarumque actionum fines, ac modos agnoſcat: at nullus ordo ſine legibus eſſe poteſt; humanae igitur actiones ſuis legibus ſubjiciantur, oportet. 4. Sublato omni morali Dei imperio, nullus erit amplius locus mutuo Deum inter, hominesque foederi, quod nonniſi religione ac pietate initur, ac ſervatur; poſito autem ejuſmodi imperio, ſtatim ſocietatis communio nos inter, atque Deum enaſcitur, civeſque eſſe incipimus magnae illius Reip. cujus adminiſtrator, & gubernator eſt Deus, in eaque praecipua ejus attributa Sapientiae, bonitatis, juſtitiae, beneficentiae maxime elucent; valde quoque hominis intereſt in ea de-

degere Rep., in qua ab optimo Deo, omnipotente, omniſcio praeclarae feruntur Leges verae noſtrae utilitati adprime convenientes. Tolle ab hominum vita morales Leges; jam decipere alios licebit, pejerare, furari, occidere, maechari fas erit; de homine proinde actum erit: pone morales Leges; erunt ordinatiſſima omnia, cuncta conſona, eritque humana vita pacatiſſima, ac beatiſſima. Adeatur Grotius in Prolegomenis de jure belli, & pacis, ubi ex inſtituto ſententiam profligat illorum, qui optime ſibi conſultum fore exiſtimant, ſi abſque Lege eſſent, ſine jure viverent. Refert ibi inter cetera elegans apophtegma: Spartanus quidam Rex dixerat, beatiſſimam eſſe Remp., cujus fines haſta, & gladio terminarentur; quod Pompejus correxit dicens, eam vere beatam eſſe, quae juſtitiam pro finibus haberet (a).

29.

(a) Magnifica ſunt, quae de ea Rep. dixerunt Plato, & Stoici, quorum doctrinam pluribus in locis expoſuit Tullius, praeſertim vero (*lib.* 1. *de Leg. n.* 23.), cujus aurea vere verba hic exſcribo. *Eſt igitur, quoniam nihil eſt ratione melius, eaque eſt in homine, & in Deo, prima homini cum Deo rationis ſocietas. Inter quos autem ratio, inter eoſdem etiam recta ratio communis eſt. Quae quum ſit lex, Lege quoque conſociati homines cum Diis putandi ſumus. Inter quos porro eſt communio Legis, inter eos communio juris eſt. Quibus autem haec ſunt inter eos communia, & civitatis ejuſdem habendi ſunt. Si vero iiſdem imperiis & poteſtatibus parent, multo etiam magis parent huic caeleſti deſcriptioni, mentique divinae & praepotenti Deo; ut jam univerſus hic mundus, una Civitas communis deorum atque hominum exiſtimanda: & quod in Civitatibus rationis quadam agnationibus familiarum diſtinguuntur ſtatus, id in rerum natura tanto eſt magnificentius, tantoque praeclarius,*

ut

29. Fluit ex dictis, aeternam Legem (§. 2.), necnon naturalem (§. 7.) ex aeternis Dei ideis, in quibus ſtabilis rerum ordo, earumque relationes continentur, eſſe derivandas; non vero ex libera Dei voluntate, qua unice fiat, aliquid juſtum eſſe, aut injuſtum, honeſtum vel turpe, ceu viſum eſt Puſendorfio, Samueli de Cocceis, Heinecio, aliiſque. Sane ſi divina voluntas ſola eſſet omnis naturalis juſtitiae origo, & principium, nulla foret Dei juſtitia, ceſſarent nempe in Deo ipſo omnes juſtitiae rationes. Si namque jus nil eſt aliud quam juſſum creatoris, & aliunde interminata ille gaudet poteſtate, ac liberrima voluntate; poterit Deus imperare perjurium, blaſphemiam, mendacium, aliaque omnibus Decalogi praeceptis contraria, eaque juſta erunt, atque bona, quia Dei juſſa. Eadem ratione poterit inſontem damnare, ac beare ſceleſtum; idque juſtum erit, quia voluit ita Deus. Monſtrum horrendum, ingens! Reſpondent voluntariae juſtitiae aſſertores, juſtum dici Deum, quod hominibus jus ſuum ſecundum *Legem ſuam*, ſeu *Voluntatem* tribuit. Bene habet: facta igitur hypotheſi, quod Deus contraria omnia Decalogi praeceptis imperaret, non deſineret eſſe injuſtus, ſi per-

---

ut homines deorum agnatione, & gente teneantur. Huc etiam faciunt, quae cecinit Sophocles ib Oedipo

Leges
Excelſae caelitus genitae,
Quarum Olympus Pater ſolus,
Neque illas mortalis
Natura hominum peperit;
Magnus eſt in illis Deus,
Neque ſeneſcit.

ſi perjuris, blaſphemis, mendacibus, maechis praemia largiretur; contraria facientes poenis addiceret. Atvero id facere non poſſe Deum ait Heinecius, quia *non ageret ſecundum voluntatem ſuam, qua nihil vult, niſi quod juſtum, aequum, & perfectione ſua dignum eſt*. Si haec vera ſunt, in naturarum ordine prius erit aliquid eſſe juſtum, ac divinis perfectionibus conforme, deinde a Deo eſſe ſancitum; gladio itaque ſuo ſe jugulat Heinecius. Sane vel quia vult aliquid Deus, ideirco juſtum illud eſt, ac honeſtum; vel quia juſtum eſt atque honeſtum, ideo vult illud Deus: ſi primum, redibunt ſuperius expoſitae difficultates; ſi alterum, jam aequitas, juſtitia, honeſtas omnem praecedet Dei voluntatem. Liquet ergo propoſitum. Quocirca toto caelo errant ii, qui praeter Dei arbitrium, & voluntatem praeceptorum naturalium ullam reddi poſſe vel debere rationem inficiantur. Altius enim eſt aſcendendum, atque ex ipſis Dei perfectionibus earum legum rationes ſunt eruendae, uti inter alios docet doctiſſimus Grotius de jure belli & pacis in (*Praefat.* §. 11.). Juris itaque naturalis *origo* in rerum ordine aeterno atque immobili eſt agnoſcenda, licet *obligatio*, & *ſanctio* ſit in Dei voluntate, cujus eſt imperare.

30. Neque inde eſt verendum fore, ut Deus fato ſubjiceretur; nullum namque imponitur ſapienti fatum, ubi a ſapientiae regulis non abſcedit; ita & Deus nulli ſubjicitur fato, ubi regulas ſibi a ſua ſapientia, ceteriſque ſuis attributis praeſcriptas adamuſſim ſequitur. Neque eſt pertimeſcendum fore, ut eſſet aliquid, quod Deo ſubjectum non eſſet, neque tamen Deus eſſet. Nam ex eo dogmate, quod ſciſcit, juſti injuſtique rationes a Dei arbitrio, ac voluntate minime pendere, id tantum eſt conſequens, eſſe

in

in mente Dei aeternam immutabilemque ſapientiam, immotum fixumque quemdam ordinem, ut per divinam voluntatem mutari non valeant. Futilius eſt quod objicit Puſendorfius (*lib.* 1. *de Jur. Nat. & gent. cap. XI.*), *qui extra impoſitionem divinam moralitatis actionum humanarum aeternam aliquam ſtatuunt regulam, nil aliud mihi videntur agere, quam ut Deo adjungant principium aliquod coaeternum, extrinſecum, quod ipſe in aſſignandis rerum formis ſequi neceſſum habuerit.* Numquid Dei ſapientia eſt principium eidem extrinſecum? Vah!

31. Nihil hic dicam de Hobbeſio, qui in (*lib. de Civ. p.* 343.) ſcribere nihil veretur, *doctrinas de juſto, & injuſto, bono, & malo, praeter leges in unaquaque civitate conſtitutas, authenticas eſſe nullas: & utrum aliqua actio juſta ſit, vel injuſta, bona vel mala futura ſit, a nemine inquirendum eſſe, praeterquam ab illis, quibus legum ſuarum interpretationem civitas demandaverit. ... Ad Civitatem pertinet etiam chriſtianam, quid ſit juſtitia, quid injuſtitia, ſive peccatum contra juſtitiam, determinare.* Atque in ſuo Leviathan libro *p.* 63. *In ſtatu naturali nihil eſſe poteſt injuſtum: neque notiones aequi, & iniqui, juſti & injuſti ullum in eo locum habent; ubi communis & publica non eſt poteſtas, ibi nulla lex eſt: lex vero ubi nulla eſt, ibi nec tranſgreſſio eſſe poteſt.* Pape quot effutit paradoxa *civilis*, vel rectius *incivilis* iſte Philoſophus! Unum hic ab eo ſciſcitor; eccur nempe Legibus Reip. obligamur? Ex pacto, inquit ipſe. At quare obligant pacta, ea praeſertim, quae noſtrae utilitati adverſari novimus? Nimirum qui pacta violant, ſibi contradicunt, idque faciunt, quod in ſcholis *abſurdum* vocatur; do ejus verba (*cap.* 3. *de Cive*): *eſt injuria abſurditas quaedam in converſatione, ſicut*

ſicut abſurditas injuria quaedam eſt in diſputatione. At cur ſibi aliquis non contradicet? Quia hoc in ſermone indignum eſt perſona diſputantis, & in Civitate ei non nimis conveniens eſt, qui Civitatis membrum haberi vult. Similia repetit in Leviathane. Praeclarum ſane, ſi ſuperis placet, civilibus legibus praeſidium! Verum juxta Hobbeſium quum ſit ſocietatis, ac civitatis ſolus finis utilitas, recte poterit quis ſibi contradicere, ubi propriae utilitatis jacturam facere experietur atque in hoc proprio jure utetur. Deinde abſurditatis injuria vel eſt a natura, vel a Legibus: ſi primum, datur aliquid naturale injuſtum ante Leges; ſi alterum, obligationis ratio leges ſimul praecedet, ſimul erit Legum effectus; quod repugnat. Quanto rectius ratiocinaretur Hobbeſius, ſi pactorum obligationem ab aeterna Lege, quae fidem ſancte ſervari jubet, derivaret, atque ita civiles Leges firmiſſimo praeſidio vallaret?

§ 32. Magnopere falluntur, qui nihil natura aequum, aut iniquum eſſe decernunt, ſed juſtum injuſtumque nonniſi ex utilitate derivant. Jus namque omne ex ſola utilitate profectum non eſſet obligatorium, quippe cui unuſquiſque, vel ſaltem totum humanum genus poſſet renunciare. Verum quidem eſt, nihil naturali jure praecipere optimum, ac ſapientiſſimum Deum, niſi quod nobis utile ſit: aſt non idcirco obligatorium, quia utile, ſed quia praeceptum; ut idcirco quidquid verae noſtrae felicitatis cauſa agimus, id Deo jubente agamus, ideoque huic utilitati renunciare nequeamus, quia Legem noſtro bono latam violamus. Omne jus ab utilitate derivavit Ariſtippus Cyrenaicus apud Laertium (*lib.* 2. *ſegm.*), cujus memorabile eſt nefandum illud dictum, *ſapientem furtis*, & *adul-*

adulteriis, *& ſacrilegio daturum operam*, *quum tempeſtivum fuerit: neque enim horum quidquam natura turpe eſſe*, *ſi auferatur vulgaris opinio*. Derivavit Epicurus, veluti Horatius & ipſe Epicureus expreſſit (*ſerm.* 1. *ſat.* 3.).

Non natura poteſt juſto ſecernere iniquum;
Sola eſt utilitas juſti prope mater, *& aequi.*

Derivant demum moderni omnes Deiſtae, & Athei, qui jamdiu ſopita Epicureorum dogmata ex cineribus excitarunt, quique fortes ſpiritus vocari amant; at nonniſi redivivi ſunt Epicurei. Unum hic advertere placet, nempe ſi ſua cuique utilitas pro jure habenda eſt, idem quoque juris ſibi alii eſſe volent: interim dum unus ſuam perſequitur utilitatem, alteri jure nocebit, atque hic illi; ut proinde jus cujuſque ſit jus nihili. Deinde hominum ſtatus eſſet belli ſtatus, in quo unus in alterius perniciem rueret; quale quid Hobbeſio in mentem venit, quem proprio loco caſtigabimus. Quod ſi vero de utilitate omnium hominum communi ſermo ſit; ea non aliter obtineri poteſt, niſi ex univerſalis alicujus Legis influxu in omnium hominum voluntates; eaque eſt illa, quam Naturae Legem appellamus.

33. Non eſt itaque homo exlex, ſed morali Dei imperio ſubditus, inque ſuis eliciendis liberis actionibus Lege aliqua utitur, quae earumdem actionum ſit norma. Atvero ejuſmodi norma ut rite munere ſuo fungatur, *recta* eſſe debet, *certa*, *conſtans*, *utilis*, *obligatoria*. Nam ſi recta non eſt norma, nec normatum rectum erit, & omnia mendoſe fient. Certa ſi non eſt, pro criterio recte agendi haberi nequit. Si conſtantia deſit, eadem actio ad illam compoſita modo bona, modo mala erit. Si utilitatis ſit expers, nemo ad illam adhibendam allicietur. Si deficiat obligatio; nihil no-

noſtra intererit normam adhibere; deeruntque motiva omnia, quibus normam noſtram conſulere ſuademur.

34. Obligationis nomine venit, *neceſſitas moralis agendi, vel non agendi, quae vel ex ipſa naturae rationalis determinatione, vel a Lege oritur*. Si agendi non agendive motiva ſint in ipſa actionum bonitate, aut pravitate, eo quia rectae rationi conformes ſunt, aut ab eadem diſcordes; oritur tunc ea, quae dicitur, *interna* obligatio: ſi ea motiva ſint in voluntate entis cujuſdam, cujus imperium agnoſcimus, actiones aliquas ſub comminatione poenae vetantis, aut praecipientis; oritur tunc ea, quae dicitur, *externa obligatio*. Nobiliſſima ſane eſt interna obligatio, quippe quae proborum ac ſapientium propria eſt, juxta illud: *oderunt peccare boni virtutis amore*; attamen ſufficere illam negamus. Quum enim jus naturale cunctos homines regere debeat, bonos aeque & improbos, qui nonniſi metu in officio continentur; juxta aliud: *oderunt peccare mali formidine poenae*; neceſſaria profecto fuit externa quoque obligatio. Utraque vero obligatio phyſicam hominis libertatem minime contingit, ſed unice eum monet, ut in ordine morum praeſtitutam ſibi normam ſequatur: idcirco moralem neceſſitatem nominavi. Rurſus externa obligatio *perfecta* eſſe poteſt, aut *imperfecta*: illa nonniſi a Lege eſt, quae *moraliter* cogendi vim habet; haec ſine coactione quae majori virtute fieri poſſunt, ſuadet; ejuſmodi ſunt, quae *meri conſilii* eſſe dicimus.

35. Normae conditiones (§. 33.) deſcriptas Naturae Legi convenire, nullo indiget argumento. Quid enim Dei ratione rectius, aut conſtantius eſſe poteſt? Sed & certiſſima eſt, quippe quam nullo doctore, aut magiſtro, at ſola ra-

tione facillime comparamus, ut idcirco noſtris cordibus inſcripta eſſe dicatur. Quod ſi quandoque in aliqua ſpecie de Lege dubitatur; praeſto eſt alia Lex, quae praecipit, ut in dubiis tutior pars eligatur. Eſt quoque nobis utiliſſima (§. 25.) Obligatoriam denique eſſe, & obligatione quidem externa, ſolus Atheus inficiari poteſt.

§. 36. Hinc immutabile prorſus eſt Jus Naturale, quum immutabilis omnino ſit aeterna Dei ratio, ut idcirco nec poſſit Deus ipſe adverſus ſempiternam eam Legem quidquam indulgere, multoque minus mortalium ullus in illam quidquam ſibi imperii adrogare. Immutabilis quoque eſt recta ratio (§. 18.), cujus ope eamdem Legem agnoſcimus (a).

37.

(a) *Huic Legi nec obrogari fas eſt, neque derogari ex hac aliquid licet, neque tota abrogari poteſt. Nec vero aut per Senatum, aut per populum ſolvi hac lege poſſumus. Nec erit alia lex Romae, alia Athenis, alia nunc, alia poſthac; ſed & omnes gentes, & omni tempore una lex continebit, unuſque erit communis quaſi magiſter, & imperator omnium Deus, ille legis hujus inventor, diſceptator, lator*: elegantiſſime ſcribit Tullius apud Lactantium (*Inſtit. Divin. VI.* 8.). Atqui haec de Jure Naturae praeceptivo, ac prohibitivo ſunt intelligenda:, nam ſi de permiſſivo ſermo ſit, poterit unuſquiſque juri ſuo cedere per pacta, promiſſiones, tolerantiam; poterit quoque Summum imperium per Leges eidem juri aliqua detrahere. Ita intelligendi ſunt Juriſconſulti, ubi ſcribunt: quum aliquid juri naturali addimus, vel detrahimus, jus Civile conficimus.

Quae adverſus juris naturalis immutabilitatem objici ſolent argumenta ſunt nihili: veluti praecepiſſe Deum Abrahae nati ſui mactationem permiſiſſe Hebraeis furtum theſaurorum Ægypti, Oſee concubitum cum fornicaria muliere. Verum homicidii ac furti Leges illibatae prorſus permanent, quibus injuſtum homicidium, injuſtumque furtum

37. Cujuſque Legis eſt praecipere, aut permittere; quapropter & Jus naturale in *praeceptivum*, & *permiſſivum* recte tribuitur: illud ad bonas actiones edendas, malas vero auſugiendas cunctos homines obligat; hoc vero jubet, ne aliquem uſu juris ſui, libertatiſque prohibeamus. Jus permiſſivum generalem regulam conſtituit, quae haec eſt: *licet mihi mea libertate utilibet, undequaque uti, niſi Lex aliqua vetuerit*; quare jus praeceptivum exceptionem efficit. Hinc & veriſſimum eſt aliud illud: *exceptio firmat regulam in contrarium*; ceſſante enim Legis obligatione, viget generalis libertas quid libuerit faciendi. Scio, aliquos ſentire, juri permiſſivo improprie juris nomen fuiſſe attributum: at de vocabulis nolo haberi litigium. Jus praeceptivum jubens aliquid eſſe faciendum, *affirmativum*; quod vero aliquid fieri vetat, *negativum* dici conſuevit. Puffendorfius (*lib.* 1. *cap.* 12. *de Jur. Nat. & gent.*), inter affirmativam, ac negativam legem id potiſſimum diſcriminis intercedere ait, *quod hujus obligatio ſit perpetuo uniformis*, & *aequaliter efficax*, *illa ad exercitium actus occaſionem, materiam, ac facultatem praeſupponat, quae ſaepe deficit*. Non eſt itaque, cur clar. Thomaſius hanc juris affirmativi, ac negativi diſtinctionem tamquam Scholaſtico pulvere ſordidam traducat (*Juriſp. Div. lib.* 1. *cap.* 7.).

38. Cenſet Grotius, aliquod Naturae Jus habiturum eſſe locum, etiamſi non eſſet Deus. In

tum vetantur; recenſitae vero ſpecies iis Legibus minime continentur: ſupremus ſiquidem vitae, rerumque dominus voluit Iſaac Patris gladio occumbere, atque Ægyptiorum theſauros Hebraeis tradere. Demum qua Lege vetamur nuptias inire cum muliere, quae antea ſui corporis quaeſtum fecit? Gerrae!

eadem ſententia ſunt multi e Schola Philoſophi, qui aliquid juſtum, injuſtumque *antecedenter ad Deum* (ſic ipſi loquuntur) eſſe docent. Neque abnuit Baelius tum in Dictionarió ſub articulis *Spinoza*, *Zenon*, aliiſque, tum in tractatu *ſur les cometes*. Verum id abſurdiſſimum eſſe ajo. Nam ſine Legislatore nulla Lex eſſe poteſt, ſine Lege nulla obligatio, ſine obligatione Jus nullum excogitari poteſt. Verum quidem eſt, poſſe Atheum honeſte vivere, ratione ipſa ſuadente, aut commoditate propria impellente; idque unice evincunt Baelii argumenta: juſte autem vivere poſſe negamus; ubi enim nulla viget Lex, ibi nulla juſtitia, nullumque jus concipi poteſt. Quod ſi obligationis nomine intelligi velit non Legis coactio, ſed rationis directio; verum erit, Atheum naturali aliqua obligatione teneri: & tunc lis erit de ſolo nomine. Juſtum, injuſtumque Scholaſticorum *antecedenter ad Deum*, pace eorum dixerim, luſus mihi videtur in re ſeria (§. 19., & 29.). Eccur itaque aliquid juſtum injuſtumve, honeſtum, aut turpe natura eſſe diximus? Nempe quia natura ſua aeternae Dei Legi conforme eſt, vel eidem adverſatur (*Ontol.* §. 118.) (*a*).

39.

(a) Quae in contrarium proferri ſolent argumenta, huc redeunt. 1. Ipſa recta ratio aperte nos docet, non poſſe conſiſtere humanam ſocietatem, ſi furari, occidere, alienum torum invadere, decipere liceret. Inde vero ſequi putant, ab his facinoribus abſtinendum, etſi illa Deus non vetuiſſet; proinde Jus aliquod futurum, etiamſi non eſſet Deus. 2 Experientia convincimur, Atheos in Rep. viventes plerumque civiliter eſſe bonos; idque pleriſque Atheis oſtendere conatus eſt Baelius laudatis in locis. At quis non videt, confundi naturalem honeſtatem, vel utilitatem, vel civilem juſtitiam cum naturali Jure?

39. Juſſa ſua, ſeu voluntatem ſuam bifariam promulgare poteſt Deus, per revelationem nempe, aut per rectam rationem: unde duplex enaſcitur Jus divinum, primum *voluntarium*, quod & *poſitivum* dici conſuevit; alterum *naturale*. Voluntarium eſt illud, quod quum ratiocinando aſſequi nequeamus, ſola revelatione nobis innoteſcit: hujuſmodi erat circumciſionis praeceptum Abrahae impoſitum, & ſacramentorum praecepta Chriſtianis lata, quae nunquam ab hominibus intelligerentur, niſi ea revelaſſet Deus. Naturale vero, quod ex ipſa natura ratiocinando arripimus; quare & univerſo generi humano innoteſcit, cunctoſque homines ratione utentes obligat. De hoc jure loquitur Seneca (*epiſt.* 65.) ad Lucilium: *eſt ergo a Deo tamquam auctore naturae impreſſum, inditumque cordibus noſtris, per quod ſecundum dictamen rationis practicae actus humanos liberos ad bonum, juſtumque dirigimus*.

40. Quoniam naturale Jus raticionando haurimus, ſi ſola prima ejus principia excipias, quae in axiomatum claſſe reponi poſſunt; hinc ejus Juris notitiam non oportet eſſe innatam, neque in propoſitionibus per ſe notis totum conſiſtere; ſed ſufficere debet, ſi attentione, ac meditatione poſſit facile attingi. Dedit quippe nobis Natura parvulos veluti *igniculos*, uti ait Cicero, qui ſi foveantur, in magnum excreſcere ignem queunt, quique etiam malis moribus, ac depravatis opinionibus brevi poſſunt ſic reſtingui, ut Naturae lumen non amplius appareat. Merito ſcribit Ariſtoteles (*lib.* 2. *Polit.*) *quid naturale ſit, ſpectandum in his, qui bene ſecundum naturam ſe habent, non in depravatis*. Sunt non pauci homines, qui rationem obbruteſcere ſinunt, quoſque ſola corporis figura a pecudibus ſecernit; nihil itaque mirum, ſi iſti aliqua naturalis Juris prae-

cepta, ſeu ſpeculativa, ſeu practica ignorent. Id etiam de integris nationibus dictum intelligo, praeſertim ſi diuturna conſuetudine, & aliorum exemplis earum animi obfirmentur. Verum quid de primis ſtatuendum principiis? Nihil dubito, quin ab ejuſmodi hominibus poſſint ignorari, ignoratione licet culpabili: nam contingere poteſt, ut in ſimpliciſſimis etiam veritatibus attributi, & ſubjecti ideas nunquam compoſuerint. Sic quamvis naturalis atque evidentiſſima ſit ſcientia numerorum; memorantur tamen quidam populi, qui ad numerum uſque decimum, vel vigeſimum ad ſummum calculos ſuos inire ſciant, praetereaque nihil: quidni & in moralibus?

41. Liquet inde, quid reſpondendum ſit iis, qui ut omne naturale Jus peſſumdent, ſpecioſa quidem, attamen futilia proferunt argumenta. I. ajunt, ſi quod revera eſſet naturale Jus per rectam rationem promulgatum, quaerendum illud eſſet in populis nulla cultura expolitis. II. ejus juris principia eſſent humanis mentibus congenita, vel ſaltem omnium animis obvia. III. apud omnes gentes eſſent uniformia. Quae omnia ex iis, quae diximus, mole ſua corruunt. Illud unum hic adjicere placet, multa nempe, quae de aliquibus populis narrantur, eſſe omnino falſa; neque facile crediderim uſpiam eſſe gentem omni ſenſu honeſtatis vacuam, aut divini Numinis metu ſolutam. Quid falſius dici, aut excogitari poteſt, quam Judaeos, & Chriſtanos eſſe atheos? Id tamen a multis Gentilium olim aſſerebatur.

42. Nec vanum & inane eſt *juſtitiae* nomen, quia amoris indoli videtur adverſari, uti quidam muſſitant tenebriones: nam ſi furari, inquiunt ipſi, e. g. pauperi homini fas non eſt, quia injuſtum, nonne vanum juſtitiae idolum propriae uti-

utilitati valedicere coget ? At diſtinguere poterant veram inter, atque apparentem utilitatem. Quae enim vera utilitas eſſe poteſt aliquot nummis fieri ditiorem, interim boni nominis jacturam facere, hominum conſortio excidere, fidei ac ſecuritatis detrimentum pati? Probam pauperiem aequo animo ferre in laude apud omnes eſt; tranquillo animo nos eſſe facit, dum nec ab aliis metuimur, neque alios metuimus.

43. At vero *per jus, & inſtitutum naturae nihil aliud intelligi poteſt, quam regulae naturae uniuſcujuſque individui, ſecundum quas unumquodque naturaliter determinatum concipimus ad certo modo agendum. Quidquid ergo unuſquiſque ſibi utile, vel ductu ſanae rationis, vel ex affectuum impetu judicat, id ſummo naturae jure appetit, & quacumque ratione, ſive vi, ſive dolo, ſive precibus, ſive quocumque demum modo facilius poterit, ipſi capere licet*. Ita ratiocinatur Spinoza; dat etiam piſcium exemplum, qui ad vivendum in aquis, & ad minores devorandos naturali lege, ſeu neceſſario quodam impetu ſunt determinati. At in uno ratiocinio quot continentur abſurditates! Ponuntur I. eſſe naturae regulae tum ductus ſanae rationis, tum affectuum impetus: interim ſi ad aliud nos trahit ratio, ad aliud nos retrahunt affectus, utri obtemperabimus regulae? II. coeci impetus ſunt vivendi regulae? oh praeclarum ducem! Conferantur, quae diximus (§. 27. & 32.) Sciat interim atheus iſte homo, nomine juris, inſtitutique naturae non intelligi quaecumque motiva, quibus ad agendum impelluntur homines, ſed motiva adprobatione digna, ſeu regulas, juxta quas ſe facere debere recta ratione intelligunt. Confectaria haec ſunt ejus doctrinae, quae ponit unitatem ſubſtantiae duplici attributo ornatae, cujus neceſſariae, fataleſque modificatio-

 nes

nes ſunt corpora omnia, ac ſpiritus (*Ontol.* §. 113. *Theol. natur.* §. 23.).

44. Quae adverſus naturalem juſtitiam, injuſtiamve, naturalem honeſtatem, turpitudinemve argumenta profert Puffendorfius, merae ſunt plerumque *principii petitiones*. Nam fundamenti loco ſtatuit, eſſe legem omnem voluntariam legiſlatoris conſtitutionem: id prorſus in quaeſtionem venit. Neque ullum nobis faceſſit negotium, quod nulla concipi queat obligatio, niſi voluntate ſuperioris imperantis imponatur: ſi quidem parendi obligatio erit in imperantis voluntate, origo autem in rerum naturis, atque in imperantis ratione (§. 29.). Neque verum eſt, res omnes eſſe indifferentes ante poſitivae Legis rogationem: imo res indifferentes tametſi Lege poſitiva, divina etiam, praecipiantur, non deſinunt eſſe indifferentes; voluntas ſiquidem *rerum naturas mutare nequit*, juxta Ariſtotelem. Sane per legem poſitivam rerum *materia* non mutatur, quaeque erant indifferentes, ejuſmodi manent poſt poſitivam legem; & nonniſi *forma* bonae evadunt, aut malae, eo quia legitime imperanti obſequuntur, vel repugnant. Non ſecus ac qui rem aliquam, de qua nihil naturali Jure ſancitum eſt, ideo facit, quia promiſſo ſe obligavit, non ideo laudabilis eſt, quod novam rem moralem, ſeu juſtam producit, ſed quia datam fidem ſervat; idque a natura eſt: ita qui poſitivae Legi obtemperat, laudatur, quia naturalem ſervat Legem, quae legitime imperanti parere jubet. Vides itaque omnem obligationis rationem a natura, *h. e.* ab aeterna Lege proficiſci. Nec ullus unquam Legiſlator jus ſuum imperandi, civiumque parendi officium Lege conſtituit poſitiva. Nam aut cives ante illius Legis rogationem parendi obligatione devincti erant, vel ſecus: ſi primum, lex poſitiva

tiva prorſus eſt inutilis; ſi alterum, nullam vim habebit lex, quia nullum jus eſt in Legislatore. Igitur totum jus obligandi in Legislatore, & parendi officium in civibus nonniſi a Natura eſſe poteſt.

45. At nimis facetum, & ſcurrile eſt, quod objicit auctor ſyſtematis ſocialis (*cap.* 3.) ubi eos deridet Moraliſtas, qui per imaginarias Metaphyſicae regiones vagantes aeternas ſtabileſque comminiſcuntur regulas ab ipſa Dei voluntate minime dependentes; deinde ait, fruſtra quaeri Leges, quum nulli ſunt ſubditi, qui iis Legibus regantur: conſtat vero nullos ab aeterno fuiſſe homines; nulla itaque aeterna lex eſſe poteſt. Verum ſcire poterat bonus iſte *ſocialis* Philoſophus, foetum non eſſe opinatricis Metaphyſicae eas regulas, quae ab ipſis rerum eſſentiis, & a divinis attributis eruuntur. Scire quoque poterat, eas regulas aeternas fuiſſe in mente divini Legiſlatoris, eaſque imponendas hominibus quo tempore extitiſſent.

46. De principio *cognoſcendi* juris naturalis hic diſputari ſolet; ejuſque nomine venit prima quaedam evidens propoſitio, ex qua per neceſſariam concludendi rationem totum quantum eſt naturae jus elici poſſit; quare eam propoſitionem non modo veram atque evidentem, ſed & adaequatam eſſe oportet, in qua tanquam in nucleo integrum jus naturale comprehendatur.

47. Placuit quibuſdam, gentium omnium, ſaltem humaniorum conſenſum pro juris naturalis principio eſſe habendum: at quum ille conſenſus nonniſi ex multis veterum, & recentiorum ſcriptis colligi debeat; patet, ejuſmodi principio deeſſe evidentiam. Socialitatis principium Grotius, Puffendorfius, aliique bene multi & olim, & noſtra memoria avide adoptarunt, quod in hunc

mo-

modum exhibet Thomaſius (*Juriſpr. divin. lib. I. cap. 4.*) *fac ea, quae neceſſario conveniunt cum vita hominis ſociali, & quae eidem repugnant, omitte*. Verum quum & homo ſolus, atque extra omnem ſocietatem officia erga Deum, & erga ſeipſum ſervare teneatur; liquet, illud principium nec verum eſſe, nec adaequatum. Id quod fatetur ipſe Puffendorfius, eamque ob rem officia erga Deum, ac ſeipſum a naturali juriſprudentia reſcindenda eſſe contendit: quamquam cum & ipſe plane perſpiceret non poſſe reſcindi, ea in libro de officio hominis, & civis ex ſocialitate ſaltem indirecte deducere adlaboraverit.

48. Hobbeſius fundamenti loco ſtatuit, falſum eſſe vulgare illud axioma, hominem eſſe animal politicum, ſeu ad ſocietatem natum; tum ponit, dediſſe unicuique naturam Jus ad omnia, unde deducit, in ſtatu naturali nullam ab uno inferri potuiſſe alteri injuriam: jus namque, ipſo judice, nil eſt aliud, niſi potentia, ſeu libertas ſuis viribus, & facultatibus utendi, quod proinde ad ea omnia extenditur, quae quis facere poteſt. Hinc vero ſequi ait, naturalem ſtatum eſſe belli ſtatum, in quo homines in ſe invicem praeoccupandis ſunt intenti. Exoritur naturale hoc bellum I. a *competitione*, *h. e.*, a plurium appetione ejuſdem rei: II. a *defenſione*, ſeu metu, ne alii nos, aut res noſtras invadant; quo metu ad alios vi & dolo praeoccupandos impellimur: III. *a gloriae cupiditate*. At vero quaerenda eſt pax externa, ſi haberi poſſit; ſin minus, circumſpicienda ſunt belli auxilia. Pax nulla haberi poteſt ſine pactis; ad pacta igitur deveniendum eſt: forent autem pacta inutilia, niſi ſervarentur; pacta ergo ſervanda ſunt. Atque hiſce fundamentis omne jus naturale inaedificat.

49. Paradoxa haec Hobbeſiana, quibus omne ever-

evertitur Jus Naturae potius quam ſtatuitur, ex iis, quae (§. 28. *& ſeqq.*) diſputavimus, mole ſua corruunt; juverit tamen curſim raptimque pauca hic animadvertere. 1. Eſſe hominem animal politicum tota clamat doctorum Reſp., tota clamat hominum natio; & nos ſuo loco oſtendemus. 2. *Si Natura dedit cuique jus in omnia, & unicuique licebat facere quaecumque, & in quoſcumque, & poſſidere, uti, frui omnibus, quae volebat, & poterat*, uti ait Hobbeſius (*de Civ. cap.* 3.): profecto ſibi contradixiſſet, ſecumque pugnaſſet Natura; noſtraque ſimul jura non jura fuiſſent; quae tua ſunt, mea quoque eſſent; quae mea, tua quoque forent. Nam quia contra *Jus* nihil *jure* fieri poteſt, idcirco jus complexum in uno omne contrarium jus in quovis alio excludit. Praeterea ſi juris menſura erit propria cujuſque utilitas, jus cujuſque erit jus nihili (§. 32.). Deinde praeclare animadvertit Cumberlandus, quod *ſi impoſſibile eſt ſingulis omnes, & omnia ſibi ſubjicere, ratio quae hunc finem proponit ſingulis, qui uni tantum contingere poteſt, ſaepius quam millies proponeret impoſſibile, & ſemel tantum poſſibile.* Demum ſi jus imperandi in alios, & jus quaecumque poſſidendi nonniſi ab irreſiſtibili potentia, ſeu vi proficiſcitur, jus profecto hominum mere erit leoninum. 3. Statum naturalem eſſe belli ſtatum, falſum eſſe ajo, ſi homines rectam rationem ſequi voluiſſent: nam incommoda omnia, quae in eo ſtatu habitura eſſe locum cenſentur, non tam ipſi ſtatui, quam hominum malitiae tribuenda ſunt. Sane Hobbeſiana *competitio* inde oriretur, quod unusquiſque omnia appeteret; id tamen falſum eſſe docet recta ratio: quod ſi vero ex pravis affectibus & inclinationibus eamdem oriri dicas, reſiſtendum iis eſſe recta ratio clamat, atque *mo-*

deſti

deſti hominis eſt permittere eadem omnibus, quae ſibi, ſicuti ſcribit ipſe Hobbeſius. Deinde non ab hominibus naturaliter ſibi metuunt homines, ſed ab iis tantum, quorum explorata ſit improbitas. Gloriae demum cupiditas nonniſi poſt conſtitutos honoris gradus, & dignitates, nempe in ſtatu civili, inceſſit hominum animos; quod ſcire debuiſſet Hobbeſius, qui omnium melius hominis indolem rimatum ſe fuiſſe gloriatur. 4. Si primitiva ratio, rerumque natura ad pacem quaerendam homines induxit, poſtquam belli incommoda ſunt experti; eccur eadem ratio non potuit ab initio pacis vinculo homines devincire? Clarckii eſt hoc argumentum. Fatetur denique Hobbeſius ipſe, jus omnium in omnia eſſe prorſus inutile, quia bellum inducit, quod noſtram conſervationem breviſſimam efficit. Inutiliane jura dedit nobis Natura? contradictoriane? Siquidem univerſale jus illud ab obligatione ſemet conſervandi derivat ille; & conſervationis inimicum paullo poſt eſſe ait. Scio Hobbeſii admiratores hic non adquieſcere, ac Magiſtri dicta benigniore ſenſu interpretari: quod ſi verum eſſe oſtendent, & ego adquieſcam.

50. Principium *amoris* placuit Heinecio, qui tribus axiomatis illud concludit, quorum primum officia erga Deum complectitur: *Deus, tamquam ens perfectiſſimum, & a quo toti pendemus, omnibus animi viribus, colendus, eique perfectiſſimum ac internum quoque obſequium praeſtandum eſt*. Alterum noſmetipſos reſpicit: *homo nihil eorum, quae ad perfectionem, felicitatemque adſequendam, conſervandam, amplificandamque pertinent, praetermittere tenetur, dum id ſine amoris divini violatione fieri poſſit*. Tertium officia adverſus alios continet: *homo hominem non minus, quam ſeipſum tenetur amare, nec alteri quod ſibi fieri non vult*,

vult, *facere*; *contra illi facere omnia*, *quae ſibi ab altero fieri cupit*. Hoc principium verum, evidens, adaequatum eſſe ajo; attamen primum eſſe nego: illud ſiquidem ab alio pendet anteriori, atque univerſaliori principio, *ſervandum nempe eſſe naturalem rerum ordinem*. Pro ultimo hoc principio ſtat Genuenſis noſter aeterna memoria dignus. Sane poſtulat rerum ordo, ut cujuſque jura ſarta tecta cuſtodiantur; & in jure ſuo cuique tribuendo totum naturale Jus conſiſtit.

CAP. II.

De Humana actione.

DEFINITIONES

I.

51. ACtio eſt motus quilibet, cujus cauſſa eſt in homine ipſo.

SCHOLION.

52. Motus nomine non ſolum corporeum intelligo, ſed & intellectus, ac voluntatis actus, quibus mens ad verum ac bonum procedit, ac veluti ſeipſam movet.

II.

53. *Paſſio* eſt motus, cujus cauſſa eſt extra ipſum hominem.

SCHOLION.

54. Hujuſmodi eſt caloris ſenſus ab igne excitatus.

III.

III.

55. *Actio* phyſica, ſeu naturalis eſt, cujus neque conſcii, neque arbitri ſumus.

SCHOLION.

56. Hujuſmodi eſt motus ſanguinis, ac pulmonum, cordis ſyſtoles ac diaſtoles, inteſtinorum periſtalticus. Phyſicae actiones a nonnullis paſſiones vocantur: nam quae homo libere non agit, revera patitur.

IV.

57. *Actio interna* ea eſt, quae tota in mente perficitur, nec ullum in corpore externum motum producit; eaque *elicita* dici ſolet: *externa*, quae ad mentis nutum in corpore excitatur; eaque *imperata* dici conſuevit.

V.

58. Actio humana ea eſt, quae oritur a principiis homini propriis, intellectu ſcilicet, voluntate ac libertate.

COROLLARIA.

59. 1. Principia humanae actionis conſtitutiva ſunt intellectus cognitio, voluntatis determinatio, ac libertas.

60. 2. Puerorum, amentium, furioſorum, ebriorum, dormientium, ſomniantium, delirantium actiones non ſunt dicendae humanae.

VI.

VI.

61. Actio *phyſice bona* eſt, quae boni phyſici eſt effectrix vel in agente, vel in aliis: *phyſice mala*, quae mali phyſici procreatrix eſt.

62. Actio *moraliter bona* eſt actio humana rationi conſentanea; huic contraria *moraliter mala* appellatur.

AXIOMA.

63. Solae humanae actiones Lege dirigi poſſunt. Si quae enim non ſunt in noſtra poteſtate, eadem Lege praecipi, aut prohiberi nequeunt.

COROLLARIA.

64. Hinc 1. naturale Jus meras paſſiones non dirigit: ſi quae vero interveniunt liberae actiones, quibus vel paſſiones excitamus, aut etiam adjuvamus, vel iiſdem reſiſtimus; comites eae liberae actiones naturali Lege dirigi poſſunt.

SCHOLION.

65. Calefieri *e. g.* eſt paſſio. Ei aliquando reſiſtere non poſſumus, veluti ſi ad aeſtivum Solem iter faciamus; aliquando reſiſtere poſſumus, veluti ſi hieme procul a foco recedamus; quandoque eam paſſionem adjuvamus, veluti si ad ignem propius accedamus. Pariter concupiſcentiae, & irae motus ſunt quidem paſſiones; iis tamen fraenos injicere, aut laxare, viam praecludere, aut aperire poſſumus.

66. Hinc 2. neque phyſicae actiones a Jure naturali dirigi queunt, niſi quatenus ut has vel ad-

adjuvemus, vel turbemus ac impediamus, in noſtra ſit poteſtate.

SCHOLION.

67. Sanguinis motus actio eſt phyſica: illum tamen temperantia, äere, medicamentis poſſumus adjuvare; ingluvie ac venenis ſiſtere. Hinc quia ejuſmodi phyſica actio adjuvari, retardari, ſiſti ab homine minime poteſt, niſi per certas liberas actiones; liquet, iſtas Juris naturalis directioni ſubjici poſſe..

68. Quoniam nihil appetere poteſt voluntas niſi ab intellectu excitata, idcirco in humana actione primas habet partes intellectus, qui actionis objectum, finem, & circumſtantias conſiderare debet. Objectum eſt res, circa quam actio verſatur; ut quum avarus auri ſacra fame excruciatur, eſt aurum ſuae appetitionis objectum, & quidem *materiale*, ut ajunt: *formale* autem eſt ratio illa, quam in objecto mens attingit, quaque ad idem proſequendum excitatur; ut quum auri praeſtantiam deperit avarus. Deinde ens intelligens, ac liberum nullam exſerit actionem, niſi aliquem ſibi finem proponat: quare & finis cognitio ad humanam pertinet actionem. Finem vero hic intelligimus non *operis*: is namque ab objecto non differt; ſed *operantis*, qui eſt quodammodo actioni extrinſecus: veluti ſi quando furtum quis admittit, ut intemperantiae indulgere valeat. Circumſtantiae demum ſunt ea omnia, quae actionem comitantur, quaeque hoc verſiculo recenſentur.

Quis, *quid*, *ubi*, *quibus auxiliis*, *cur*, *quomodo*, *quando*

Quis non nudam denotat perſonam, ſed & ejus

ejus qualitatem, ſtatum, aetatem, conditionem perſonae ſive facientis aliquid, ſive patientis: veluti ſi pater aut filius, ſi dominus vel ſervus injuria afficiatur, vel alium afficiat. *Quid* rei magnitudinem vel parvitatem, multitudinem vel paucitatem deſignat: veluti furtum ſeſtertii, vel mille aureorum. *Ubi* non merum locum, ſed & eumdem accidentaria conditione affectum: veluti ſacrum vel non ſacrum, publicum vel privatum. *Quibus auxiliis*, ideſt quo inſtrumento, quo medio, quo ſocio. *Cur*, *h. e.* quo extrinſeco fine fiat actio: veluti ſi quis hominem interficiat, gloriae captandae gratia. *Quomodo* non ſignificat modum actus eſſentialem, ſed actus boni, aut mali qualitatem: veluti ſi intenſe vel remiſſe, ſi deſtinata opera vel caſu, ſi obſtinato animo vel reluctante, ſi ſecreto vel palam. *Quando* non merum tempus ſignificat, ſed quamdam ejus conditionem: veluti ſi quis die feſto quid admiſerit. Deſcriptas circumſtantias perſpiciat intellectus, oportet: nam ſaepenumero una circumſtantia efficere poteſt, ut actio humana ponatur, aut ſuſpendatur; vel novam adquirat moralitatem.

69. Humanae noſtrae actionis juſtitiam, injuſtitiamve nonniſi ratiocinando cognoſcimus. Quum enim actio dicatur juſta, quae ad Legis normam componitur (§. 36.); Legis ſcientia praecedat, neceſſe eſt, ad quam deinde actionem propriam adplicando, de ejuſdem juſtitia, aut injuſtitia ſententiam proferimus: atque ejuſmodi ratiocinatio *conſcientia* vocatur. Eſt igitur conſcientia ſyllogiſmus, cujus major propoſitio Legem complectitur; minorem propoſitionem conſtituit actio propria; concluſio dat ſententiam: veluti, qui inſontem hominem interficit, mortem meretur; en lex: id ego ſe-

feci ; en adplicatio : mortem itaque mereor ; en ſententia.

70. Si conſcientia nos abſolvat, *bona* dicetur, & *tranquilla*; ſi vero damnet, *mala*, *irrequieta*, ac *remordens* nominabitur. De prima loquitur Cicero (*lib. de ſenect.*), *bene actae vitae*, *multorumque benefactorum recordatio ſuaviſſima eſt*. Et Horatius (*Epiſt. I. lib. I.*).

. . . . hic murus aheneus eſto,
Nil conſcire ſibi, nullo palleſcere culpa.

De altera Juvenalis (*Satyr.* 13.).

Poena autem vehemens, ac multo ſaevior illis,
Quas & Caeditius gravis invenit, aut Rhadamantus,
Nocte dieque ſuum geſtare in pectore teſtem;

71. Conſcientia *antecedens* dicitur, quum de futuris actionibus ratiocinamur; *conſequens*, quum de praeteritis; illa ſapientis hominis eſt, *cujus conſtans, & perpetua eſt vitae ratio, quae eſt virtus*; haec vero inſipientis, *cujus eſt inconſtantia, quod eſt vitium*. Sane qui praeter propter vivunt, ad libidinem agunt; deinde facta ſua ad trutinam vocant. Antecedens conſcientia *inſtigans* eſt, quum ad legem obſervandam nos exſtimulat; *revocans* vero, quum a Lege violanda nos retrahit.

72. *Recta* eſt conſcientia, quum neque in *materia* peccatur, neque in *forma* ratiocinationis : ſi in alterutra peccatur, *erronea* eſt conſcientia. Peccatur in materia, ſi falſa lex ponatur, quae tamen vera habeatur, & contra; necnon ſi falſa fiat adplicatio: in forma, ſi falſa fiat deductio, & ratiocinatio ad regulas ſyllogiſticae artis non componatur.

73.

73. Deinde *certa* eſſe poteſt conſcientia, *dubia*, *probabilis*, & *ſcrupuloſa*. Certa quidem, quum de utraque praemiſſarum certo conſtat; dubia, quum de Legis exiſtentia, aut de actione dubitatur; probabilis, quum praemiſſarum alterutra ſola probabilitate nititur (*Log.* §. 204.); ſcrupuloſa demum, cui leviſſimae rationes formidinem incutiunt. Quoniam probabilitas ſuos habet gradus (*Log.* §. 177.), eaque vel ſuſpicio eſſe poteſt, veriſimilitudo (*Log.* §. 202.), vel denique dubium (*Log.* §. 176.); hinc eaedem affectiones probabili conſcientiae convenire poterunt.

74. Rurſus *tuta* eſſe poteſt conſcientia, aut *periculoſa*: illa ab omni peccandi periculo nos removet; haec peccandi periculo nos objicit. Finge in quaeſtione juris ſubdubitari, num lex aliqua exiſtat, interim graves rationes ſuadere Legem illam non exiſtere: ſi eam Legem utut minus probabilem ſequaris, ab omni culpa erit tuta conſcientia, favebitque Legi contra propriam libertatem; ſi vero contrariam amplectaris ſententiam, quamvis probabiliorem libertati faventem, minus tuta erit conſcientia, ac peccandi periculo, licet parum probabili, te objicies. Idem eſto judicium in facti quaeſtione, veluti ſi ſubdubites, an debito ſatisfeceris: ſi ſatisfacias, in tuto eris; ſi non, in diſcrimen te adduces. Inde vero conſequitur, non ideo ſententiam aliquam eſſe tutiorem, quia ſit probabilior; nec minus tutam, quia minus ſit probabilis.

75. Conſcientia dicitur eſſe *dormitans* in homine, qui ita ſuis vitiis indormiſcit, ut nullo miſeriae ſuae ſenſu adficiatur, nec de juſtitia injuſtitiave ſuarum actionum amplius ratiocinetur; *cauterio uſta*, ſi diuturna peccandi conſuetudine omnem veluti peccati ſenſum amiſit; *experge-*

facta, si praeſente terribili aliquo periculo excitatur, ſuaſque actiones expendere incipit.

76. Conſequitur ex dictis, conſcientiam pro humanarum actionum norma haberi non poſſe: normam ſiquidem rectam, certam, conſtantem, externaque obligatione munitam eſſe oportet (§. 33.); conſcientia vero modo erronea, modo dubia, modo probabilis eſt. Deinde obligatoria eſſe nequit: nam ſeipſa ſuperior ſimul eſſet, atque inferior; quod repugnat. Illa igitur naturae Legem unice promulgat; iſta vero nos obligat, ut proinde conſcientia Legem ad humanas actiones adplicet.

77. Duo ſunt Intellectus vitia, *ignorantia* nempe, & *error*: illa eſt mera cognitionis privatio; hic autem in judicio, aut ratiocinio a natura rei diſcrepante conſiſtit.

78. Ignorantia ratione ejus, qui ignorat, *invincibilis* eſſe poteſt, aut *vincibilis*. Illa quidem poſt adhibitam moralem diligentiam ſuperari nequit. Eſt autem invincibilis vel *in ſe, at non in ſua cauſa*; vel *in ſe, & ſua cauſa ſimul*. Priorem reperire eſt in homine temulento, qui ignorat quid agat, quamdiu durat ebrietas; at ipſe ſciens volenſque in dulcem illam inſaniam proruit, proinde fuit ſuae ignorantiae cauſa. Alteram invenire eſt in homine furioſo, qui neque ſcit amota mente quid agat; nec per eum ſtetit, quo minus fureret. Altera haec omnino eſt invincibilis: at prior vix talis dici poteſt, quum vitari facile potuiſſet. Optime igitur Ariſtoteles 3. ad Nicomach. quum laudaſſet legem Pittaci, quae ebriis peccantibus duplicem poenam irrogari juſſerat, ſtatim ſubdit, *in ebrios duplex poena conſtituta eſt: principium enim in ipſis. Nam ſitum in iis erat, ne ebrii fierent: ebrietas autem cauſſa inſcitiae eſt.*

Vin-

Vincibilis ignorantia eſt, quae, adhibita morali diligentia expelli poteſt. Haec ignorantia *craſſa* & *ſupina* vulgo dicitur, quum quis nullam vel fere nullam adhibet diligentiam ad ſciendum id, quod ſcire poteſt, ac tenetur, proinde ſaltem *indirecte* vult ignorare: *affectata* vero dicitur, ubi quis ex induſtria vult ignorare, quo majori licentia agat; atque haec ignorantia eſt omnino voluntaria.

79. Deinde ratione rei, quae ignoratur, alia eſt ignorantia *juris*, ubi Lex, nempe quid praeceptum, vetitumve ſit, ignoratur: alia *facti*, ubi nota Lege ignoratur, an certa actio in ea comprehendatur; *v. g.* poſita Lege de nemine laedendo, poteſtne quis imminente morte ſibi fuga conſulturus jacentem hominem conculcare, certum ei damnum illaturus?

80. Quod ſi demum conſideretur ignorantia ratione actionis, in *antecedentem*, *concomitantem*, & *ſubſequentem* diſpeſcitur. Prima eſt, quae omnem praecedit intellectus attentionem, ac voluntatis conſenſum, quaeque ſi abfuiſſet, nullatenus actio fuiſſet ſubſequuta. Hujuſmodi erat Cephali ignorantia apud Ovidium (*Metamorph. VI.*), quum Procrin uxorem ſuam inter dumos latentem, quam feram putabat, occidit; non occiſurus, ſi vel ſuſpicatus eſſet, ſuam eſſe uxorem; ut proinde eadem ignorantia actionis cauſſa ſaltem *privativa* dici queat. Altera eſt, quae actionem quidem comitatur, attamen ejus cauſſa non eſt, adeout etiamſi illa abfuiſſet, eadem actio poſita fuiſſet: ut quum quis inimicum ſuum interficit, feram eſſe arbitratus, interfecturus, ſi inimicum eſſe ſciviſſet; ejus indicium eſt adprobatio. Tertia eſt, quae voluntatis actum ſubſequitur, quo quis ſaltem *indirecte* vult ignorare id, quod ſcire debuiſſet; ideoque eadem eſt cum

vincibili ignorantia. Error eaſdem, quas ignorantia ſubit diviſiones.

81. Alterum humanarum actionum principium eſt voluntas ac libertas, de quibus fuſo calamo in noſtra Pſychelogia diximus. Solum hic adverto, volutarium ac liberum non auferri per temperamentum; neque per affectus & mores licet diuturna conſuetudine obfirmatos, neque per ullam vim externam, metumque incuſſum, ut ibidem diſputavimus. Solae itaque actiones, quae dicuntur *invitae*, nimirum quae a mente ſeipſam determinante non proficiſcuntur, liberae eſſe definunt; necnon quae ab interna quadam neceſſitate ſunt ad unum determinatae.

82. Hominis ratio naturaliter recta eſt (*Pſych.* §.173.,& 187.), atque in vitae navi acus magnaticae vice fungitur, quae quamdiu tranquilla eſt, nec turbulentis motibus agitata, quodnam tenendum ſit iter, bene oſtendit. Non eſt autem recta ratio, ubi vel ignorantia dominatur, vel ubi affectibus ſeſe immiſcet, praviſque voluntatis inclinationibus inquinatur. Quare & ad rationis dictata actiones noſtras recte ſemper componimus; conſcientiae non item.

CA-

CAP. III.

De Humanarum actionum moralitate, atque Imputabilitate.

DEFINITIONES

I.

83. Actio *moraliter bona eſt*, quae naturae rationali conformatur; quae autem rationali naturae diſcordat, *moraliter mala* nuncupatur.

II.

84. Actio moraliter bona *juſta* dicitur, quae Legi per omnia convenit; *injuſta*, quae quomodolibet a Lege diſcrepat.

III.

85. *Imputatio actionis* eſt, quo agens declaratur auctor, aut cauſſa libera boni malive ſibi, aliiſve obvenientis, quod ex ſua actione conſequitur. Si conſequens illud bonum malumve obveniat ex convenientia actionis cum Lege, vel ex diſcrepantia a Lege, imputatio *moralis* dicitur.

COROLLARIA.

86. I. Ei ergo, qui actionis alicujus auctor eſt, vel cauſſa libera, eadem actio merito imputatur: ceſſat vero omnis imputatio, ſi factum fuerit aliquid, cujus ipſe faciens neque auctor eſt, nec cauſſa.

 87.

87. II. Imputatio moralis ut fieri queat, perſpecta eſſe debet Lex, quacum actio aliena comparetur, unde bonum malumve ex Legis obſervantia aut violatione proveniens declaratur; in eoque differt a conſcientia, quod de aliena actione judicium proferatur.

SCHOLION.

88. *Imputare* proprie eſt in alterius rationes aliquid referre. Si quando imputantur alicui aliorum merita, quorum ille neque auctor, neque cauſſa extitit; imputatio fieri dicitur *ex Gratia*, neque eſt proprie dicta imputatio.

89. III. *Poena* eſt malum actioni connexum. Si ejuſmodi malum natura actioni nectatur, poena erit *naturalis*; veluti capitis lucta, omniſque noxa a vinoſitate proficiſcens: ſi a voluntate Legislatoris, poena *poſitiva* dicetur.

90. IV. *Occaſio* eſt oblatio circumſtantiarum, ob quas fieri poteſt, ut agens liberum tunc agat, vel ut actio facilius aut commodius tunc abſolvatur.

91. *Bonum* eſſe debere *ex integra cauſſa*, *malum vero ex quolibet defectu*, vetus eſt axioma. Sane quum omne malum nonniſi in alicujus boni privatione conſiſtat (*Ontol. Cap.* 4.); hinc quilibet defectus malum inducit; quare neque actio vere bona erit, niſi fuerit integre bona, ac ſine ullo vitio. Ut vero integre bona exiſtat actio humana, ejuſmodi eſſe debet non minus ratione objecti, quam ratione finis, atque circumſtantiarum: objectum quum dico, *formale* intelligo (§. 67.). Equidem ſi bonus intendatur finis, actioni ex objecto bonae nova *moralitatis* ratio adjici poterit; veluti ſi ſtipem indigenti largior, ut honoretur Deus: contra vero

ro actio per ſe quidem bona a fine malo vitiari poteſt; hujuſmodi erunt Phariſaeorum largitiones, & auſteritates, quae nonniſi ex faſtu promanabant. Demum ad circumſtantias etiam eſſe attendendum vel ex eo patet, quod pro certa rerum, ac temporum ratione ſint aliqua praecepta aut permiſſa, quae in aliis circumſtantiis ſunt vetita. Quoniam vero humana actio omni ex parte rationi, ac normae debet conformari; hinc ſi vel objectum, vel finis, vel circumſtantia aliqua rationi, ac normae adverſetur, mala erit illa atque inhoneſta; ſi omnia conformia, bona ſtatim erit actio; ſi demum adiaphorum fuerit objectum, adiaphoraeque circumſtantiae, honeſtus ſaltem finis moralitatem actioni refundet: eaque bona eſſe non deſinet.

92. Hinc definiri poteſt quaeſtio, num dentur actiones *indifferentes*, quae ſcilicet neque bonae ſint, nec malae. Ego quidem ſic ſentio. Si ſpectetur humana actio quoad ſolum objectum; ubi hoc adiaphorum fuerit, & illa adiaphora dici poterit. Quod ſi eadem actio prout eſt in ſe ſpectetur, nempe cum ſuis circumſtantiis omnibus, ſpeciatim cum fine, ad quem illa refertur; adiaphora amplius non erit, ſtatimque bona, vel mala evadet. Illa ſiquidem vel ad honeſtum aliquem finem dirigitur, quum poſſit; vel ſecus: ſi primum, rationali naturae conformabitur, ſimulque bona erit; ſi alterum, jam aliquis in ea reperietur defectus, quem ratio non probabit proinde mala erit (§. 91.).

93. Circumſtantiarum praecipua eſt perſona agens, quae actionis auctor, vel cauſſa eſſe debet (§. 85.); cauſſa vero *phyſica*, vel *moralis* eſſe poteſt (*Ontol.* §. 194.). Quum igitur moralis actionis principia interna ſint intellectus, ac voluntas; ubi major eſt intellectus cognitio, & in-

intenſior voluntatis niſus, ibi conſpectior eſt culpa, ſi lex violetur; aut laudabilior, atque honeſtior eſt actio, ſi Legi conformetur. Inde vero conſequitur, cauſae morali aeque ac phyſicae actionem imputari, ſi par utriuſque ad actionem fuerit concurſus: morali magis quam phyſicae, ſi quis jubendo alteri, cui in obſequio tantum relicta ſit gloria, ad agendum impulerit; veluti domino jubenti ſervum furari, mortemque minitanti, niſi fecerit: phyſicae demum magis, quam morali, ſi haec minus concurrerit; *e. g.* ſi propoſitum illius dumtaxat adprobaverit; vel in agendi propoſito dumtaxat confirmaverit. Deinde qualitatis, dignitatis, conditionis perſonae habenda eſt ratio in imputatione. Nam pluribus perſonis ad eamdem actionem injuſtam concurrentibus, actio magis imputatur illi, quam aetas, dignitas, prudentia, officium, cognatio a male agendo revocare debuiſſent; actio vero juſta eidem minus imputari meretur.

94. Perpendamus jam *quomodo* perſona ſuas exſerat actiones. Principio poteſt quis agere cum ſcientia, aut cum ignorantia moralitatis actioni ſuae inhaerentis. Conſtat 1. non omnem ignorantiam, & errorem eſſe vituperabilem; imo quorumdam vitiorum ignorationem plurimum afferre utilitatis: *ignoti* ſiquidem *nulla poteſt eſſe cupido*, juxta vetus adagium. Conſtat 2. imputari non poſſe actiones, quae fiunt ex ignorantia *antecedente*, ac vere *invincibili tum in ſe, tum in ſua cauſſa*: qui enim ſic agit, ex defectu cognitionis, & contra voluntatis inclinationem agit (§. 77. & 79.), atque ignorantia vere cauſſa eſt, cur ita agat. Recte Ariſtoteles (*magn. moral.* 1.) ait: *quorum quis non eſt cauſſa, ſed ignorantia, ut delinquat, ob ea neutiquam eſt injuſtus*. Quod ſi *concomitans* fuerit ignorantia, atta-

attamen invincibilis, neque ſic imputari poterit actio; imputabitur autem ſequuta adprobatio, quae omnino libera eſt. Conſtat 3. imputari actionem, quae ex alia quavis ignorantia *vincibili*, & *conſequente* oritur; illa etiam, quae in ſua cauſſa vinci poterat: nam ejuſmodi voluntaria ac libera omnino eſt; & qui illam voluit, ſubſequutum ex illa effectum voluiſſe quoque cenſendus eſt. Quae de ignorantia diximus, de errore etiam dicta volumus. Ut vero culpae ex *vincibili* ignorantia admiſſae imputentur; circa ea verſari debet, quae ſcire debuimus, adhibitaque juſta diligentia ſcire potuimus. Conſtat 4. in comparatis ignorantiae peccatis conſpectiorem eſſe culpam, ubi major eſt ſcientia, vel ad ſciendum obligatio. Hinc maxima eſt culpa, quae cum certa ſcientia admittitur; maxima quoque eſt, quae cum *affectata* ignorantia patratur, quia haec omnimodo voluntaria eſt, ac perfectae ſcientiae aequivalet quoad faciendam imputationem; ex ignorantia demum *ſupina* minuitur culpa, prout minor fuerit adhibita negligentia. Conſtat 5. imputari malitiam ejus actionis, quae jam tenebatur eſſe mala: nam qui ſcit, malam eſſe actionem, attamen malitiae rationem ignorat, ita eſt animo comparatus, ut eamdem, qualis quanta ſit, velit. Non recte igitur Areopagitarum ſententia abſoluta fuit mulier, quae adoleſcentem, oblato philtro, occiderat; *quia non conſulto id feciſſet; amoris enim cauſſa dediſſe, verum a propoſito aberraſſe*, apud Ariſtotelem (*magn. moral.* I.) Illicitum namque eſſe ſciebat mulier, philtrum ad conciliandum amorem offerre.

95. Ad praeſtitutos hos canones I. nemo poteſt invincibilem ignorantiam circa prima juris naturalis principia, proximaſque, evidentes, faciles concluſiones inde deductas praetexere:

quiſ-

quiſque enim mentis compos non modo haec ſcire poteſt, ſed & vix poteſt ignorare (§. 38.). Alia vero naturalia praecepta, quae multarum propoſitionum nexum, ac integram argumentationum veluti catenam requirunt, invincibiliter poſſe ignorari vel inde patet, quod doctiſſimi etiam homines de iiſdem dubitaverint. 2. actiones in voluntaria ebrietate perpatratas, certiſſime imputantur, ſi praevideri potuerint. 3. imputantur ſomnia, quae quis diurnis actionibus, & cogitationibus veluti provocavit, praecipue ſi ille ſaepius fuerit expertus. 4. Si quis invincibili errore cenſeat, actionem aliquam Lege praecipi, aut prohiberi, conſcientiam tali errore laborantem ſequi tenetur: ſecus enim Legem violare paratus, delinquit. 5. Si laborat conſcientia vincibili errore, illum tenetur expellere: ſecus enim quidquid agat, delinquet. Nam ſi juxta eam conſcientiam quis agat, quum voluntarius ſit error, non erit culpa immunis (§. 93. *n.* 3.); aliquanto quidem excuſatius, quam qui contra conſcientiam agit, at peccat tamen: ſi eidem conſcientiae renitatur, paratus eſt Legem infringere. Mirifice ergo fallitur Limborchius, qui etiam erroneam conſcientiam ſequendam eſſe contendit (*Theol. Chriſt. V.* 2.)

96. Quoniam certa eſſe debet noſtrarum actionum norma (§. 33.), ſi quis in dubio verſetur, ſitne fas agere, an ſecus, ſuſpendenda eſt actio, reique veritas curatius eſt perveſtiganda, ne temere agat, & in diſcrimen violandae Legis ſe adducat; atque alterutram partem complectens, non minus voluntate complectitur, ſi prohibita ſit, quam ſi permiſſa. Ad rem Tullius (*lib.* I. *de offic.*) *Bene praecipiunt, qui vetant quidquam agere, quod dubitas, aequum ſit, an iniquum: aequitas enim lucet ipſa per ſe; dubitatio autem cogi-*

cogitationem ſignificat injuriae. Quod ſi vero circumſtantiae deliberationis moram non patiantur, & neceſſitas urgeat eligendi; ſi copia ſit conſilii, efflagitandum; ſi non adſit, eligenda eſt pars tutior: hanc enim eligendo, certum eſt, nihil adverſus Legem admitti (§. 73.); ſi vero minus tutum eligatur, periculum imminet Legis infringendae. Pariter ſi quis in eo conflictu ſit conſtitutus, ut per errorem credat, a ſe delinqui, utramvis partem ſequatur, nec adſit conſilii copia; tunc quod minus malum eſſe cenſet, complecti debet, ne delinquat.

97. Ubi certitudo nulla diligentia obtineri poteſt, veriſimilitudine contenti eſſe debemus. *Nunquam expectamus certiſſimam rerum comprehenſionem, quoniam in arduo eſt rerum exploratio; ſed ea imus, qua ducit veriſimilitudo. Omne hac via procedit officium. Sic ſerimus, ſic navigamus, ſic militamus, ſic uxores ducimus, ſic liberos tollimus; quamquam omnium horum incertus ſit eventus. Ad ea accedimus, de quibus bene ſperandum eſſe credimus. Quis enim polliceatur ſerenti proventum, naviganti portum, militanti victoriam, marito pudicam uxorem, patri pios liberos? Sequitur qua ratio, non qua veritas trahit. Expecta ut nonniſi bene ceſſura non facias, & niſi comperta veritate nihil moveas: relicto omni actu vita conſiſtit*. Seneca (*de benef. IV. cap.* 33.). Quapropter deficiente certitudine, juxta probabilem conſcientiam agere, prudenter eſt agere; nec adverſus eam unquam agere fas erit.

98. Dimidiata certitudo dubium conſtituit (*Log.* §. 202.): ubi vero aequales occurrunt tum pro Legis exiſtentia, tum pro ejuſdem non exiſtentia rationes, bifariam diſpeſcitur certitudo (*Log.* §. 177.); obtinet itaque dubii ſtatus; tutior itaque pars eſt eligenda (§. 95.), nempe dubia

Lex

Lex ſectanda (§. 73.) ; ut idcirco relinquere partem Legi faventem, alteramque partem complecti, quae libertati adblanditur, nefas omnino eſſe debeat. Quare ut liceat ſequi opinionem probabilem, relicta tutiore, debet eſſe illa multo probabilior, ut moralem certitudinem conſtituat, & prudenter agatur. Lubricum ergo eſt dogma molliorum caſuiſtarum de conſcientia probabili a peccato excuſante. Videntur hi mihi velle cum Deo tranſigere, *nec interitum pravitati afferre, ſed vitiorum mediocritate eſſe contenti*, uti ſcribit Tullius (*lib.* 2. *de fin.* 9.,) praeſertim quia in definienda probabilitate paucorum doctorum opiniones ſectantur. Neque ad rem ajunt iſti, conſcientiam probabilem *ſpeculative* quidem eſſe dubiam, *practice* vero nequaquam. Judicium namque practicum ſpeculativo ſemper conforme eſt, niſi adſit ratio aliqua, vel motivum, quod a ſpeculativo judicio abſcedere nos faciat (*Pſychel.* §. 258.) ; quale itaque erit ejuſmodi motivum, ſciſcitor? Nempe quia dubia lex non obligat, inquiunt ipſi: en manifeſtiſſima principii petitio.; & ſophiſmatibus praeconceptum dubium non aufertur. Rurſus ajunt, in dubiis meliorem eſſe conditionem poſſidentis; hominemque eſſe in poſſeſſione ſuae libertatis, quamdiu de Lege non conſtat. Verum de qua libertate, *phyſicane* an *juridica* loquuntur? Prima in quaeſtionem non venit, quippe quam ſub quacumque Lege poſſidemus: altera vero quum ad Legem neceſſario referatur, ubi certa occurrit lex, certum quoque eſt, nullam exiſtere ejuſmodi libertatem; quare ſi de Lege dubitatur, de ea quoque libertate erit dubitandum.

99. Cum dubia conſcientia confundi non debet ſcrupuloſa, quae leviſſimis agitatur momentis, ac

ac veluti ad umbras intertremiſcit. Illius ſiquidem formidines quum ex ignorantia, melancholia, depravata imaginatione, malaque corporis conſtitutione exoriantur; fas erit, imo & conſultum, contra eam agere.

100. Hactenus de intellectu; modo de voluntate quoad actionum imputationem dicendum eſt. Ac 1. ſi cui *vis externa irreſiſtibilis* infertur, vel *debilitas* obvenit, propter quas actionem coactus admittit, vel omittit invitus, tunc actio illa, vel omiſſio non imputatur; dummodo per agentem non ſteterit, quominus in eam vim, aut debilitatem deveniret (§. 53. & 84.). Hinc Martyribus non imputabatur, quod manibus devincti adigebantur externa vi thus flammae injicere, Diiſque offerre; neque corporis violatio puellae majorem vim patienti. Pariter eventus fortuiti, defectus naturales tum animi, tum corporis nequeunt imputari: *nemo improperabit caeco nato, ſed magis miſerebitur ejus*, graviſſime ait Ariſtoteles. At vero imputatur corporis deformitas homini, qui naſum veneri obtulit, vel alia mala jumento ſuo domum advexit; ſolvendi impotentia debitori, qui bona ſua abligurivit; & Rom. Legibus erant poenae obnoxii, qui ne militare cogerentur, amputatis pollicibus, manus tractandis armis inhabiles efficiebant. Quod ſi vero ſuperari poteſt vis illa externa, aut debilitas; imputabitur tunc actio, vel omiſſio, quia eſt in noſtra poteſtate; & ad laudem quidem magis, ad culpam minus, quo major eſt difficultas; ad culpam autem magis, ad laudem minus, quo minor eſt difficultas. Vim definit Paulus *majorem rei impetum, qui repelli non poteſt L. 2. ff. quod metus cauſſa*; & B. Thomas ait eſſe violentiam extrinſecus illatam, contra-

tranſeunte eo, qui patitur. Hinc vero duo conſequuntur. Primum eſt, inferri poſſe vim externis dumtaxat corporis potentiis, non vero voluntatis actibus. Alterum eſt, facta per vim deſinere eſſe voluntaria, ut idcirco in cenſum humanarum actionum venire nequeant (§. 53.), ac paſſionibus eſſe adnumeranda, ubi major illa vis obtinet. Quaecumque vis corpori inferatur, poteſt mens firma conſiſtere juxta illud Horatii (*l.* 3. *Ode* 3.).

Fortem ac tenacem propoſiti virum
Non civium ardor prava jubentium,
Non vultus inſtantis tyranni
Mente quatit ſolida . . . .
. . . . . . ſi fractus illabatur orbis,
Impavidum ferient ruinae.

101. Ad vim accedit *metus*, cujus nomine venit *inſtantis vel futuri periculi cauſſa, mentis trepidatio L. ait Praetor ff. quod metus cauſſa*. Eſtque alius *gravis*, alius *levis*: id quod ex imminentis mali magnitudine, atque metuentium indole aeſtimatur. Alius item *juſte*, alius *injuſte* incuſſus. Alius demum *antecedens*, alius *concomitans*: ille ad aliquid faciendum nos commovet, ac tum res dicitur *ex metu* fieri, veluti quum naufragii metus mercatorem movet ad projiciendas in mare merces; hic ad agendum non commovet, ſed actionem dumtaxat comitatur, & tum res *cum metu* fieri dicitur, uti videre eſt in latrone, qui quum furatur, metuit, ne in furto teneatur. Quicumque autem ſit metus, nunquam omne voluntarium tollit, etſi aliquid involuntarii utplurimum actui adſpergat: voluntarium namque eſt quidquid a voluntate procedit cum cognitione intellectus; utrumque locum ha-

habet in metuente (*a*). Liquet inde, actiones ex metu patratas non deſinere eſſe humanas, ac proinde imputari; ut idcirco malae actiones excuſari nequeant eo nomine, quod ex metu ducant originem: attamen ob involuntarii admiſtionem culpa extenuatur, ubi metus eſt injuſtus, vel a cauſſa naturali. Quodſi vero juſtus fuerit metus, nullus relinquitur extenuationi locus: hujuſmodi eſt metus moroſo debitori a Magiſtratu ſub exequutionis comminatione incuſſus.

102. Non eſt ergo rejicienda diſtinctio voluntatis *antecedentis*, & *conſequentis*: illa ſine contemplatione circumſtantiarum, quae tempore actionis occurrere poſſunt, decernit; haec vero circumſtantiis tempore actionis occurrentibus ſeſe accomodat. Ita vult mercator antecedente voluntate merces ſuas in portum ducere incolumes; at imminente naufragio decernit voluntate conſequente eaſdem in mare projicere.

103. Ignorantiae affinis videtur eſſe *concupiſcentia*, quippe quae haud raro eas offundit menti tenebras, ut a veri perceptione nos avertere cenſeatur. Inſtinctibus, inclinationibus, paſſionibus, temperamento corporis illa ſe prodit, atque in motibus ſenſitivi appetitus in ſenſibilia bona tota conſiſtit. Si ii motus ita ſint *indeliberati*, ut omnem rationis ac libertatis uſum omnino praeveniant; quae inde oriuntur actiones, imputari non merentur: ſi rationis ac libertatis uſum dumtaxat minuunt, exinde ortae actiones impu-

(a) Praeclara ſunt, quae ſcribit Epictetus apud Arrian. I, 17. *At, inquiat quis; qui mihi mortis proponit metum, me cogit. Profecto non, quod imminet, in cauſſa eſt, ſed quia tibi ſatius videtur aliquid eorum facere, quam mortem oppetere. Quare tua te opinio coegit, ideſt voluntas vicit voluntatem.*

tantur, quamvis culpa extenuetur. Quod ſi iidem motus a voluntatis imperio, vel ex habitu libere contracto veluti irritati naſcantur; tum quo majore impetu ruimus in vetitum, major quoque eſt actionis deformitas, magis proinde actio imputatur, ut omnimodis libera. Inclinationes itaque diuturna conſuetudine obſirmatae, ut abierint fere in naturam, quam ſi *expellas furca, tamen uſque recurret*, tantum abeſt, ut a culpa excuſent, ut illam efficiant graviorem. Sane quemadmodum virtutis habitus, aut vehemens honeſti deſiderium actionis honeſtatem auget; ita & prava conſuetudo, ac vehemens inhoneſti appetitus pravitatem actionis augeat, neceſſe eſt. Quanta itaque ſit actionum honeſtas, ex intellectu, ac voluntatis concurſu dimetiendum eſt. Nam Deo judice, pari ſaepe ſunt in culpa duo homines, quorum alter forte fortuna, aut aliorum interventu praepeditus nemini nocuit, alter vero graviſſime: neque minus laudandus, qui honeſta pro viribus, etſi fruſtra, conatus eſt; quam is, cui omnia ex voto contigerint. Non enim in ipſis eventibus ſita eſt honeſtas, vel turpitudo; ſed in animi conſiliis, propoſito, & voluntate.

104. Fruſtra eſt quaerere, num imputentur actiones, ad quas patrandas occaſio invitat. Nam & vitanda eſt peccandi occaſio, atque adverſus oblatam occaſionem colluctandum. Miſerabilis ergo excuſatio illa Chereae apud Terentium *Eunuch. III. 5. An ego occaſionem mihi oſtentatam, tam brevem, tam optatam, tam inſperatam, amitterem?* Occaſioni quoque bene agendi manum non injicere, culpa non vacat.

105. In aeſtimanda actionis quantitate ſpectanda quoque eſt tota ſeries eventuum, qui praevideri potuerunt, & quorum actio cauſſa eſt, ſive ſponte ſua & naturali conſequutione oriantur, ſive

ve intervenientibus aliorum actionibus, quas actio illa provocaverit. Nam qui vult cauſſam, omnes etiam conſequutiones voluiſſe intelligitur.

106. Cujuſque Legis duae neceſſariae ſunt partes, *praeceptum* nempe, & *ſanctio poenalis* (§.34.); non eſt itaque dubitandum, quin decreverit Deus poenas in eos, qui aeternam, ſanctiſſimam, immobilemque ſuam Legem infringere auſi fuerint. Non loquor hic de naturali poena, quam & Atheus agnoſcit, & humanam actionem neceſſario comitatur; eaque aut in corporis dolore, aut in animi cruciatu, aut in aliorum odio, aut vindicta conſiſtit: ſed de poena poſitiva, quae proprie poenae nomine venit, quaeque negari nequit, niſi ab iis, qui Dei providentiam e medio tollunt. Requirit namque divina providentia, ut perturbatus ordo per Legis violationem per inflictam delinquentibus poenam reſtituatur; neque Deum decet aliquid in ſua Rep. inordinatum relinquere; neque pati, ut eadem ſit peccantis ſors, ac non peccantis: quod profecto contingeret, ſi inulta peccantium crimina dimitteret. Viderunt hoc & gentiles Philophi, uti legere eſt apud Xenophontem (*Memor. Socr. l. 4.*). *Num arbitraris, Deos hominibus opinionem indituros fuiſſe, quod & beneficiis, & paenis afficere poſſint, ſi non revera id poſſent? & homines ſemper deceptos, horum nihil unquam ſenſiſſe?* Nempe hanc doctrinam omnium communem eſſe ait Xenophon. Idem evincunt conſcientiae latratus, quibus tamquam Furiarum facibus agitati ſunt non modo ii, qui ab ulciſcentis Reip. ſuppliciis timere poterant; ſed & ii, quorum naſcendi ſors, vel faſtigium imperii omni ſupplicio exemerat; imo & ii, quorum occulta erant delicta, ut proinde nihil ab hominibus ſibi metuere potuiſſent. At qualis, quanta futura ſit poſitiva poena, humana ratio non aperit.

107. Richardus Cumberlandus de (*Leg. nat. proleg. XIV.*) praemiorum promiſſionem non minus ad Legis integritatem pertinere ſtatuit, quam poenae comminationem; ſed non recte. Siquidem non debet praemia Legislator iis, qui officio ſuo funguntur, idque faciunt, quod ſine crimine omittere non poſſunt: ſi tamen praemia promittat Legislator, quod fecit Deus, qui cum ſit infinite bonus, ac beneficus, noſtram felicitatem procuret, ideoque & naturales Leges nobis noſtrae felicitatis cauſſa praeſcripſerit; tum ex promiſſione tenebitur praemia elargiri. Quod ſi vero praemii nomine intelligi velit naturalis illa felicitas quae Legis obſervantiam conſequitur; Cumberlando non refragor. Nemo enim non inſanus neſcire poteſt quantas ad beate vivendum vires virtus habeat.

CAP. IV.

De officiis.

DEFINITIONES

I.

108. Officium eſt actio, juxta Legem determinata, quatenus ad eam ita determinandam obligamur.

SCHOLION.

109. Officium Latinis, Craecis δέον, καθῆκον, & κατόρθωμα, eſtque *perfectum*, aut *imperfectum*: primum definitione noſtra complexi ſumus; alterum eſt, quod ſuadetur potius, quam ulla Naturali Lege praecipiatur. Unde patet, Jus Naturae

rae circa officia perfecta proprie verſari. Nec abſimili ratione officia diſtinxiſſe videntur Stoici, qui καθηκοντα dicebant, quaecumque ratio dictat facienda; κατορθωματα vero, quae Lege praecipiuntur. Quoniam vero Lex non aliud praecipit, niſi ut cujuſque jura ſarta tecta cuſtodiantur; in hac vero jurium cuſtodia conſiſtit juſtitia; liquet inde, omne officium eſſe juſtitiam.

II.

110. *Officium naturale* eſt, quod ad Legis divinae naturalis normam attemperatur.

III.

110. *Perſona moralis* eſt ſubjectum omnium obligationum, atque jurium, quae perſonae competunt. *Juris* vero nomine hic intelligo facultatem, quam a Natura habet homo ad aliquid juſte habendum, aut faciendum.

112. Praecipua officiorum naturalium diviſio ab objectis ipſis proficiſcitur, eaque objecta ſunt omnino tria; Deus nempe, nos ipſi, aliique homines: totidemque exiſtunt officiorum genera, alia nempe Deo, alia nobis ipſis, alia aliis hominibus debentur. Officia, quae Deo debemus *Religione* continentur; quae ipſis Nobis, complectitur *Prudentia*; quae aliis hominibus, *Philantropiam*, *h. e.* humanitatis amorem conſtituunt. Religio in exercitatione facultatum, & virium naturalium circa Deum, ac res divinas conſiſtit. Prudentia privata eſt conſtans ſtudium ſuae propriae perfectionis, ac felicitatis, cauſſarumque, quibus hae res continentur, diligens exploratio. Philantropia eſt virium animi & corporis jugis adplicatio ad aliorum hominum jura ſancte tuen-

 da,

da, eorumque commoda promovenda. Circa omnia recenſita officia Naturalis Jurisprudentia verſatur, quae cujuſque jura explorare, atque tueri docet.

113. *Omnia officia mutuis relationibus eſſe metienda*, ajebat Epictetus (Enchir. cap. 37.). *Pater eſt? Praecipitur, curam ejus agendam, cedendum ei in omnibus: ſi convicietur, ſi verberet, ferendum eſſe. At Pater malus eſt. Numquid Natura conjunctus es cum bono Patre? Non, ſed cum Patre. Tu ergo munus tuum erga eum tuere, nec quid ille agat, conſidera; ſed quibus rebus agendis tuum inſtitutum Naturae futurum ſit conſentaneum. Sic vicini, ſic civis, ſic Imperatoris officium invenies, ſi mutuas relationes ſpectare conſueveris.* Equidem in comparatione actionum cum perſona morali reperire eſt quamdam veritatem, vel falſitatem, aeque ac in propoſitionibus. Sic Pater deſtinata opera filium interficiens, actionem patrat perſonae Patris diſſentientem, nempe *falſam*: ſi vero nati ſui perfectionibus delectetur, eaſque pro virili conſervare, & amplificare ſtudeat; ejus actio Patris perſonae conſentiens, ſeu *vera* dicetur. Praeclare igitur ajebat Socrates, *idem eſſe veritatem, ac virtutem*. Hanc actionum veritatem, aut falſitatem fuſe expoſitam, atque illuſtratam videre eſt apud *Wollaſtonum* in opere inſcripto, *adumbratio Religionis naturalis*. Atque hunc ſenſum eſſe cenſeo axiomatis Stoicorum, *ſequere naturam*; ſectare nimirum relationes, quas Natura impoſuit, quaeque ex ipſis rerum eſſentiis oriuntur (§. 13.). Sane ex variis humanae naturae partibus, earumque conſtitutione, variae conſequuntur relationes, unde hominis jura, & officia multa derivantur. Quare cognitionem hominis moralis cognitio hominis naturalis praecedere deberet: nos vero hoc loco ab-

abſtinuimus, quoniam in noſtra Phyſica particulari, & in Pſychelogia ejus rei ſpecimen dedimus.

114. Quoniam ubi nulla eſt Lex, nullum eſſe poteſt officium perfectum (§. 107.); hinc ſi quando Lex certis dumtaxat perſonis fuerit praeſcripta, contingere poteſt, ut duo homines idem omnino agant, attamen eorum unus officio fungatur, alter contra officium egiſſe dicatur. In eorum namque uno erit actio perſonae ſuae morali conſentiens; in altero perſonae ſuae diſſentiens: in illo debitae ſervantur relationes, in iſto nequaquam. Deinde ceſſat aliquid eſſe officii, ubi Lex ejuſque ratio ceſſaverit.

C A P. V.

De Religione, ſeu de officiis erga Deum.

DEFINITIONES

I.

115. RELIGIO eſt cultus ſummi obſequii, ſummae ſervitutis, ſummi amoris ei exhibitus, cui talis cultus debetur, nempe Deo ſoli (*a*).

(a) Omne officium juſtitia eſt, ac Religio nonniſi *juſtitia eſt adverſus Deos*, ait Cicero.

II.

116. *Cultus internus* eſt animi ſubmiſſio, qua divinam excellentiam veneramur.

III.

117. *Cultus externus*, quo internum cultum actionibus externis teſtatum facimus.

IV.

118. *Superſtitio*, eſt cultus vel Deo indignus, vel rei creatae, cui non debetur, exhibitus.

V.

119. *Idolum* eſt non ens ſimulacro repraeſentari ſolitum, quod Deus eſſe fingitur.

VI.

120. *Idololatria* eſt ſuperſtitionis ſpecies, qua Idolis cultus defertur.

VII.

121. *Impietas* eſt vitium, quo divinae perfectiones ex ignoratione, aut ex praefracta voluntate negantur.

VIII.

122. *Blaſphemia* eſt vitium, quo imperfectio aliqua Deo adſcribitur.

IX.

IX.

123. *Magia ſuperſtitioſa* ea eſt, qua cacodaemonis ope mira patrantur, quae hominum vires excedunt. Si cacodaemonis operatio ad inferendum alicui damnum dirigatur, *maleficium*, aut *veneficium* appellatur.

SCHOLION.

124. Magia generatim eſt ratio operandi mira, & inſolita: idque ſi per naturales cauſſas obtineatur, *magia naturalis*, dicetur, quae nihil habet a naturali jure alienum.

X.

125. *Divinatio* eſt ſuperſtitioſa inquiſitio rerum futurarum, vel naturalium ſcitu impoſſibilium.

XI.

126. *Vana obſervantia* eſt ſuperſtionis ſpecies, qua bonum aliquod animi vel corporis expectatur per media vana, & inutilia, quae ſcilicet nullam habent vim ad effectum expetitum idoneam.

XII.

127. *Atheiſmus* eſt blaſphemia, qua divinitatis exiſtentia negatur.

128. *Polytheiſmus* eſt blaſphemia, qua divinitas in plura ſubjecta ſcinditur.

129. Officia noſtra erga Deum *theoretica* eſſe poſſunt, vel *practica*: theoretica in rectiſſimis de Deo ſententiis ſibi comparandis tota conſiſtunt;

ſtunt; practica in Dei cultu non minus interno, quam externo ſunt repoſita; uterque vero cultus divinae naturae debet eſſe conſentaneus, ne in ſuperſtitioſum abeat. Liquet igitur, partem Religionis practicam parte theoretica praecedi debere: niſi enim animus rectis de Deo ſententiis prius fuerit informatus, cultum divinae naturae conformem praeſtare haud poterit. Deinde officia noſtra adverſus Deum nonniſi ab ejus juribus in nos proficiſci debent (§. 108.): ignorata vero Dei natura, ejus quoque jura, proinde noſtrae quoque adverſus eum obligationes ignorentur, neceſſe eſt. Rectiſſime ajebat Epictetus (*Enchir. cap.* 38.) *Religionis erga Deos praecipuum illud eſſe ſcito, rectas de iis habere opiniones, ut ſentias & eos eſſe, & bene juſteque adminiſtrare univerſa*. Seneca quoque (*epiſt.* 95.), *primus deorum cultus eſt, credere Deos; deinde reddere illis majeſtatem ſuam, reddere bonitatem, ſine qua nulla eſt majeſtas*.

130. Obſtrictus eſt homo ad notitiam Dei, ejuſque perfectionum adquirendam, magis magiſque amplificandam, & ad majorem evidentiae gradum evehendam. Nec vero deſunt alicui media ad hanc cognitionem perveniendi: meditatione ſcilicet veritatum, quas naturalis ſuggerit ratio; contemplatione univerſi, in quo veluti in aperto volumine divinae potentiae, ſapientiae, providentiae perfectiones legere eſt omnibus, qui non omnino caecutiunt, ut idcirco appoſite dixerit Tullius (*lib.* II. *de nat. teor.* 2.), ſi quis dubitet, an ſit Deus, *haud ſane intelligo, cur non idem, ſol ſit, an nullus ſit, dubitare poſſit*. Tali ergo, tamque expedita via quum poſſit quiſque in Dei cognitionem venire, in ignoratione inexcuſabili verſabitur, ſi Deum eſſe neſciat (§. 77.).

131.

131. Quoniam hominis officium eſt rectas de Deo habere ſententias ; convictus eſſe debet , eum eſſe mentem unam , aeternam , immutabilem , infinitam , omniſciam , omnipraeſentem , omnipotentem ; ſibique ſufficientiſſimum , rerum omnium auctorem , & gubernatorem, ejus ditioni ſubjici omnia , noſtrum omnium patrem eſſe amantiſſimum , ſupremum ſimul Legislatorem , judicemque juſtiſſimum . Pleni ſunt his ſententiis ſapientium Ethnicorum libri , a quibus libens abſtineo .

132. Ex theoreticis officiis practica debent proficiſci . Principio quum Deo reddenda ſit majeſtas (§. 128.), eaque ſit infinita ; hinc maximam ei debemus reverentiam , ac profundiſſimam animi demiſſionem , praeſertim ubi noſtram tenuitatem cum ejus magnitudine comparaverimus : atque hic animi affectus quum ſit *adoratio*, liquet deberi Deo adorationem .

133. II. *Gratos animi ſenſus* , *&* *amorem* : Eſt enim Deus exiſtentiae noſtrae, omniumque, quibus potimur, bonorum auctor , & conſervator : eſt vero unuſquiſque obſtrictus ad gratum animum benefactori quavis ratione oſtendendum ; en itaque grati animi ſenſus : hujuſmodi vero animi ſenſum gratiarum actionibus teſtatum facimus . Deinde eſt Deus non modo *in ſe* , & *abſolute* bonus , ſed & bonum noſtrum praeſtantiſſimum, in quo unice quieſcere jubemur (*ontol.* §. 108.) , natura ipſa ad ſummum bonum nos incitante : eſt vero amor nonniſi boni adpetitio cum percepta delectatione ex illius perfectione, ac felicitate ; Deo igitur amorem omnium praeſtantiſſimum debemus (*a*) . Viciſſim a Deo nos ama-

(a) Amoris vocabulum aequivocum eſt : eo namque ſignificari poteſt tum motus duorum objectorum ſympaticus, ... ceu

filio Dei occurret ? Si quis attingat propinquitate Caeſarem , aut alium quempiam potentiorum Romae , ſatis ad tuto vivendum , & ut ne deſpiciatur , praeſidii habebit , nec ſibi ab aliquo timebit. Deum vero cum habeamus conditorem , & patrem, & curatorem , is nos triſtitia , & metu non liberabit ? Idem Epictetus (*ibid. lib.* 1. *c.* 9.). Deus equidem noſtrum omnium eſt amantiſſimus parens , quippe qui nos procreavit , nos alit , moderatur. Qui fiduciam ſuam omnem in Deo collocavit , ſe totum ei tradit , omnemque ſuam fortunam tutus , hilariſque committit : *ſequere Deum*, aphoriſma erat Stoicorum ; *hic magnus animus , qui ſe Deo tradidit* ; & *contra ille puſillus , & degener , qui obluctatur* , ait Seneca (*epiſt.* 107.) *Utere me in reliquum ubi lubet , & uti libet , mente tecum conſentio , aequanimus ſum, nihil recuſo omnium , quae tibi videbuntur ; quocumque me voles , ducito ; quam veſtem lubet , circumdato : magiſtratum me gerere vis ? privatum eſſe ? manere , fugere ? in pauperie , in opibus agere ? ego non aſſentior tantum , ſed in his omnibus apud alios ego te defendam , & tuebor* ; (*epiſt. ibid. lib.* 2. *diſſ.* 16.)

136. V. *Preces* . Ex fiducia preces oriuntur , ut quae nobis expectanda ſunt , bona conſequi , quaeque timenda ſunt , mala fugere valeamus , ope divina freti . Imo ad fundendas Deo preces natura ipſa incitamur; veluti quum in aerumnis conſtituti oculos in caelum convertimus , ſuſpiriiſque praeſidens caelis numen flexuri in eas erumpimus voces , *oh caelum* , *oh Deus* , veluti furore aliquo abrepti : *neque in hunc furorem omnes conſenſiſſent , niſi noſſent Deorum beneficia nunc ultro oblata , nunc orantibus data , opportuna*, ſcribit Seneca (*lib.* 4. *de benef.*). Quomodo orandus ſit Deus , diſce ab eodem Seneca (*epiſt.* 1.) :

1.) : *audacter* (grandi nempe fiducia) *Deum roga bonam mentem , bonam valetudinem animi , & corporis* . Vera deinde roganda ſunt bona , & quorum coram hominibus minime nos puderet . *Sic vive cum hominibus , tamquam Deus videat ; ſic loquere cum Deo , tamquam homines audiant . Quanta dementia eſt hominum ! turpiſſima vota Diis inſuſurrant : ſi quis admoverit aurem , conticeſcunt ; & quod ſcire hominem nolunt , Deo narrant* ; (*Sen. ibid.*) Quia vero in magna bonorum realium ignoratione perſaepe verſamur , imitanda eſt veteris cujuſdam Poetae modeſtia , qui ſic Deum precabatur : *Juppiter bone , res quidem bonas , ſive precemur ſive non precemur , nobis concede ; res vero noxias , etiamſi illas poſtulemus , a nobis arce* .

137. VI. *Dei gloriam provehendam* . Qui entis alicujus perfectionibus vere delectatur , nihil habet reliqui , niſi ut & alii eaſdem agnoſcant , iiſque delectentur : quoniam igitur ad amandum Deum obſtricti ſumus (§. 132.) , ad officium quoque noſtrum pertinebit , ut alii eiſdem , quibus nos , imbuantur doctrinis , errantes in viam revocentur , ad concipiendamque ſummam Numinis reverentiam excitentur . Id vero eſt Dei gloriam *externam* provehere . Faciendum autem hoc nonniſi adhibitis demonſtrationibus , & cohortationibus : nullae namque aliae ignorantiae & errori evellendis , atque voluntati excitandae relictae ſunt viae , niſi perſuaſiones , & exhortationes . Videant ergo quam recte ſe gerant ii , qui adverſus atheos , atque ethnicos , vel haereticos ſtatim lege agi , ferrumque ac flammas expediri praecipiunt : licere id tantum ajo , & publicis quidem poteſtatibus dumtaxat , ſi ejus furfuris homines Reip. tranquillitatem vexabunt , vel ſuos errores diſſeminare tentaverint .

138.

138. VII. *Animi puritatem*. Qui enim convictus eſt, ſe ob oculos verſari ſanctiſſimi Numinis, Reip. rationalium imperatoris & oculatiſſimi Judicis, noſtrorum cordium ſecretiora penetralia intuentis, receſſuſque penitiores intimitus perſcrutantis; is profecto vitae integritate, internaque pietate Deo placere ſtudebit, imo & virtutum exercitatione eumdem, quantum licebit, exprimere: *nam animum bonum & rectum, quid aliud voces, quam Deum in humano corpore hoſpitantem?* Seneca (*epiſt.* 31.). *Satis Deos coluit quiſquis imitatus eſt*, (*epiſt.* 95.). *Cultus Deorum optimus eſt, idemque ſanctiſſimus, pleniſſimuſque pietatis, ut eos ſemper pura, integra, incorrupta mente venereris*, Cicero (*lib.* 1. *de nat. Deor.*) *O amice Pan, & cetera Numina, date quaeſo, ut intus pulcher efficiar*, ſolita fuiſſe perhibetur Socratis precatio. Interrogatus Thales Mileſius, *num lateat Deum homo injuſte agens?* reſpondit, *imo ne cogitans quidem* apud Clementem Alexandrinum Stromaton (*lib.* 5.) Epictetus apud (*Arrian. lib.* 1. 11.) *Quamobrem clauſis januis, quum in tenebris conſederitis, nolite dicere, vos ſolos eſſe: non enim eſtis; non certe eſtis, ſed Deus intus eſt.*

139. VIII. *Humanas actiones ad Deum dirigendas*. Gloria namque Creatoris, ſuarumque perfectionum manifeſtatio, finis eſt primarius cur mundus ſit conditus; iſque finis generalis eſt, atque ad totum hoc univerſum pertinet (*Theol. natural.* §. 56.), ſpeciatim vero ad praecellentiſſimum naturae opus, hominem nempe, qui nobiliſſimarum ſuarum facultatum, intellectus nimirum ac voluntatis exercitio, univerſali Creatoris oeconomiae debet aptari: at humanae actiones ſunt entia phyſica ad hoc univerſum pertinentia; voluit itaque Deus, ut & ea generali om-

omnium fini inſervirent, eidemque ſummi Imperantis fini ſubditorum rationalium voluntates ſeſe debent accommodare. Deinde humana actio ad honeſtum finem minime directa non eſt defectus expers (§. 91.); multo itaque magis deficiet, ſi ad ultimum univerſalemque finem non dirigatur. Demum humana quaevis actio ejuſmodi eſſe debet, ut vel apta ſit quae ad Creatoris gloriam dirigatur, vel inepta: ſi primum, ordini contradicitur, eamdem ad debitum finem non dirigendo; ſi alterum, iniqua erit illa: ſola namque iniquitas eſt, quae Creatoris gloriae litare nequit (a).

140. *Fidem*. Eſt enim Deus ſumme verax, fallere, ac ſalli neſcius; proinde ubi conſtiterit, aliqua ab eo fuiſſe tradita, firmiſſime iis eſt adſentiendum; neque de ejuſdem promiſſis, aut minis vel minimum eſt addubitandum.

141. Atque in his quidem officiis internus Dei cultus conſiſtit, eaque omnia nonniſi ex amore, quem Deo debemus, unice fluunt, atque ad amorem

(a) B. Thomas variis in locis hoc dogma pertractavit; ex inſtituto tamen (1. 2. *q.* 100. *art.* 10) ubi haec habet: *ſub praecepto caritatis continetur, ut diligatur Deus ex toto corde: ad quod pertinet, ut omnia referantur in Deum; & ideo praeceptum caritatis implere homo non poteſt niſi etiam omnia referantur in Deum*. Et in commentariis epiſtolae ad Coloſſenſes in ea Apoſtoli verba, *omne quodcumque facitis in verbo, aut in opere, omnia in nomine Domini Jeſu Chriſti facite, gratias agentes Deo & Patri per ipſum*, (*cap.* 3. *v.* 17.) ſcribit: *quidam dicunt, quod hoc eſt conſilium; ſed hoc non eſt verum*. Omitto B. Auguſtinum, cujus hac ſuper re notiſſima eſt doctrina. Verum impoſſibile eſſe ajes, ut homo jugiter actibus ſuis in Deum referendis ſit intentus: *actu* quidem impoſſibile eſt; *virtute*, non item; ita nempe ut referendi intentio *moraliter* non abrumpatur.

rem tamquam ad caput redeunt. Opportune advertit Simplicius (*in Epict. c.* 38.,) quod quum omnia, quae potuimus officia, Deo praeſtiterimus, *illud perſuaſiſſimum habendum, nihil nos illi dignum ipſo tribuiſſe; ſed ad veniam impetrandam illud nobis ſatis eſt, quod nihil ſuperius illis habeamus.*

142. Ad externum cultum modo progrediamur, quo ſcilicet cultum internum externis actionibus teſtatum facimus. Externi cultus neceſſitatem ex ratione demonſtrari non poſſe ait Thomaſius (*Juriſp. Div. lib.* 2. *c.* 1.); ſed egregie decipitur. Nam quum totus ſubjectus Deo ſit homo, totus divinae Majeſtati ſubjiciatur, & Conditoris ſui gloriae debeat inſervire, ejuſque gloriam provehere (§. 136.); utriſque ſuis actionibus, internis externiſque, Deum religioſe colat, neceſſe eſt. Sane Deus, ſibi ipſe ſufficientiſſimus cultu noſtro nequaquam indiget; attamen ſupremi dominii ratio, univerſi finis generalis, utilitas quoque noſtra neceſſario exigit, ut ille a nobis colatur. At exteriore cultu non indigere Deum ait Thomaſius. Numquid eget interioris? attamen Deo deberi fatetur. Enimvero cultus exterior nonniſi interioris manifeſtatio eſt, ait ille; quum igitur Deus internas pervideat actiones, externa manifeſtatione opus non habet. Verum non idcirco cultu externo vult coli Deus, quaſi externa manifeſtatione egeat ad internum cultum perſpiciendum; ſed quia id requirit divini dominii ratio, mundi finis univerſalis, noſtra etiam utilitas. Accedit, ita natura comparatum eſſe, ut internus affectus in externas actiones erumpat, quibus deficientibus, languidior evadit ille, ac remiſſior; nec minus feruntur homines ad ſocietatem, quam ad externum cultum Deo praeſtandum, ut idcirco ſolus internus vix ſincerus

vide-

videretur. Altera Thomaſii ratio eſt, quod ſocietas humana, vitaeque tranquillitas, omiſſo externo cultu, minime laederetur. At hoc argumentum falſo nititur ſocialitatis principio (§. 47.). Praeterea ſine Religione felix nequit eſſe ſocietas, imo nec diu conſiſtere poteſt (*Phych.* §. 88.), quemadmodum Politicis eſt demonſtratum: in ſocietate vero externus ac publicus cultus ſit, oportet; eoque ſublato, maximum illa caperet detrimentum. Hinc nulla natio fuit adeo agreſtis, aut effera, quae ſua templa, ſacrificia, dies feſtos, ſupplicia non habuerit.

143. Quae de cultu externo praecipit recta ratio, ad haec capita revocantur. De Deo ſemper honorifice, conſiderate, modeſte, & cum ſumma reverentia loqui; nunquam ejus nomen temere jurando, pejerandove, aut ſermonibus futilibus ulla vel leviſſima ignominia afficere; externas actiones ejus praeceptis attemperare; conceptos grati animi ſenſus meditatis carminibus, & orationibus, tum oblatis donis prodere; ſtatis temporibus, ac locis pietatem exercere; alios ſermonibus, & actionibus ad ejus venerationem, & amorem excitare; a precationibus rerum agendarum initia ſumere. Cautum erat legibus Rom., ut non modo agendarum rerum, ſed & dicendi in Foro, vel in Curia initium a Deorum invocatione ſumeretur, *quod nihil rite, nihil providenter homines, ſine immortalium ope, conſilio, honore auſpicarentur*, ait Plinius in Paneg.

144. De ritibus externis nihil praeſcribit ratio: neque enim ad commendandas divinas perfectiones neceſſarium eſt, ut his potius, quam aliis ſignis utamur: arbitraria ergo ſunt illa, & qualibet ratione ſuſcipienda, modo ne repugnent legi naturali externas aliquas actiones

prohibenti. Quia tamen ea, quae jus naturae praeterit, legibus poſitivis definienda relinquuntur; ubi divina, aut humana poteſtas legitima certos conſtituerit ritus, obligatio naturalis eoſdem adhibendi exoritur.

145. Ceterum externi ritus ita comparati eſſe debent, ut ex interiori cultu proficiſcantur: nudus namque cultus externus pietas non eſt, ſed pietatis ſimulatio, Deoque contumelioſa, quaſi illum fallere poſſemus. *Animadverto, Deos non tam accuratis adorantium precibus, quam innocentia & ſanctitate laetari; gratioremque exiſtimari, qui Delubris Deorum puram caſtamque mentem, quam qui meditatum carmen intulerit.* (*Plin. loc. cit.*) Opportune hic animum ſubit praeclarum illud Juſtini martyris apophtegma, *templum Dei eſt orbis, cor ara, ſacrificium amor*: ſanctiſſimum hoc eſt naturae dogma. Hinc vero fluit pulcherrimum praeceptum, cavendam nempe eſſe omnem ſimulationem pietatis, quippe quae ab injuria Creatoris ſejungi nequit. Contumelioſiſſimus autem Deo eſt cultus ille, qui ad homines decipiendos adhibetur. Vide ejus ſpecimen in perditiſſimo illo homine apud Horatium (*lib.* 1. *epiſt.* 16.).

. . . . *Pulchra Laverna,*
Da mihi fallere, da juſtum ſanctumque videri,
Noctem peccatis, & fraudibus objice nubem.

146. Religioni opponuntur Atheiſmus, Polytheiſmus, impietas, blaſphemia, Idololatria, & ſuperſtitio. Atheiſmus totius Religionis fundamenta convellit, eradicat (§. 126.). Quoniam pluralitas Deorum nullitas eſt Deorum (*Ontol.* §. 182.), hinc & Polytheiſmus in atheiſmum recidit, vel in foediſſimam abit ſuperſtitionem. Idem eſto judicium de blaſphemia, atque impietate.

Deus

Deus enim, cui ſua non conſtat natura, Deus non eſt; blaſphemi igitur, & impii atheiſmo, aut ſuperſtitioni litant. Hujuſmodi eſſent, qui dicerent Deum eſſe injuſtum, crudelem, impotentem, qui rebus humanis non conſulat, qui precantibus opitulari nequeat, vel nolit.

147. Omnem cultum Deo indignum, vel rei creatae, cui non debetur, exhibitum, ſuperſtitioſum eſſe diximus (§. 137.). Indignus Dei cultus eſt ille, qui vel ejuſdem attributis adverſatur; veluti ſi quis Deum tamquam avarum donis, aut tamquam crudelem humanis ſacrificiis placare ſatageret: vel qui *falſus* ſit; veluti ſi quis falſo pietatis obtentu prodigia comminiſcatur, quaſi Deus ficticiis hujuſmodi portentis indigeat: vel tandem qui *ſuperfluus*; nempe qui ad Dei gloriam nequidquam facit, neque verae pietati opitulatur. Hanc ſuperſtitionis ſpeciem Religioni eſſe oppoſitam nemo non videt (§. 128.). Alterum ſuperſtitionis genus idololatriam, magiam, maleficium, divinationem, & vanam obſervantiam complectitur. Summam divinae majeſtati injuriam infert idololatria, quippe quae ſupremum honorem ſoli Deo debitum ad creaturam transfert, ad ſimulacra ſcilicet, vel aſtra, vel animantia bruta, vel homines vivos, aut mortuos. Magia demum, divinatio, vana obſervatio ſunt crimina Religionis inimica, quia cacodaemonis expreſſam, vel ſaltem tacitam invocationem continent. Equidem in divinatione, vanaque obſervantia quum expectentur effectus, qui per naturales cauſſas obtineri nequeunt, nonniſi cacodaemonis interventu expectantur.

148. Illud hic quaeri ſolet, num graviora incommoda ex Atheiſmo, an ex ſuperſtitione in humanum genus redundaverint. Baelius in opere *ſur les cometes* hanc quaeſtionem fuſo calamo

pertractavit, ac pro Atheiſmo calculum ſuum adjecit. Buddeus in tract. de Atheiſm. & ſuperſtit. hanc quaeſtionem inanem eſſe cenſet, quum verae pietati erga Deum Atheiſmus aeque ac ſuperſtitio adverſentur. Me quidem auctore, dubitandum non videtur, quin ex Gentilium ſuperſtitione graviora hominibus obvenerint mala, quam ex Atheiſmo. Nam primo quis ſibi decoquat Deos deformes, adulteros, inceſtuoſos, inter ſe litigantes, vulneribus confoſſos, muliebriter ejulantes? Deinde in ea ſuperſtitione ſingulis quibuſque vitiis ſua erecta ſunt altaria; ut proinde ſatius fuiſſet, ſceleſtiſſimos illos Deos nullos fuiſſe. Adeatur noſtra Theologia naturalis (§. 95.).

149. Expoſitis officiis continetur naturalis Religio: non eſt autem cenſendum, ad eam, ad quam connitimur, beatitatem adſequendam, ſolam illam Religionem poſſe ſufficere. Nam 1. nullum certum oſtendit medium, quo Deum propitiemus, ſi quando deliquimus: noſtra ſiquidem ſacrificia, preces, luſtrationes non ſatis eſſe, ut infinitae Dei juſtitiae ſatisfiat, pleniſſime nos ratio convincit. Gentium Sacrificuli peccata muneribus Deo oblatis, aut pecunia expiari autumabant; quid abſurdius? quaſi Deus peccata hominum nundinetur, & pecunia redimi patiatur, ut avarum Numen. Adhibebant etiam luſtrationes: atqui hae corpus abluunt, animum non emundant. Accedebant externi quidem ritus, & praeconceptae verborum formulae: atqui corporis motibus, & inani verborum ſono haud placatur Deus. 2. Quid nobis ſit agendum praecipit quidem ea Religio; at vires ad agendum neceſſarias non ſuppeditat. 3. Ingenitae pravitatis, quam in noſtris facultatibus, & inclinationibus miſeri experimur, originem non

ape-

aperit, neque ulla remedia praeſcribit. 4. Aeternam beatitatem non pollicetur: an enim velit Deus probos homines aeternum beatos efficere, ratio ita non demonſtrat, ut nullus ſuperſit ſcrupulus, utque humanus animus pleue firmiterque ſine ullo timore poſſit adquieſcere. Hinc vero ſequitur, neceſſariam eſſe aliquam revelationem, quam ubi factam eſſe conſtiterit, eamdem complecti naturali ipſo jure obligamur (§. 139.). At quamvis demus aeternae beatitatis, aeternaeve miſeriae plenam demonſtrationem a naturali ratione minime ſuppeditari; ſufficere tamen deberet magna veriſimilitudo, ubi de maximo malo cavendo, ſummoque bono adſequendo agitur.

C A P. VI.

De Officiis hominis erga ſeipſum.

DEFINITIONES.

I.

150. JUs, pro attributo perſonae ſumtum, eſt qualitas moralis perſonae competens ad aliquid juſte habendum, vel agendum.

II.

151. *Jus perfectum* prout eſt perſonae moralis attributum, eſt legitima facultas, nempe a Lege Mundi afferta, ad aliquid agendum, omittendum, impediendum, vel ad utendum, fruendum re aliqua, vel de eadem quomodolibet diſponendum.

SCHOLION.

152. Ejuſdem facultatis, qua quis potitur, exercitium ſi ab alio praepediatur, aut intervertatur, jam laeditur *juſtitia*: quae in jure perfecto cuique tribuendo verſatur, laeſoque infertur *injuria*, quae nonniſi in laeſione juris alieni legitimi conſiſtit. Perfecta officia perfectum jus reſpiciunt (§. 108.).

III.

153. *Jus imperfectum* eſt, quod ex virtute, ex honeſto, ac decoro enaſcitur: hujuſmodi ſunt officia, quae humanitatis, beneficentiae, mutui auxilii dicuntur. Imperfecta officia ad jus imperfectum referuntur.

SCHOLION.

154. Grotius perfectum jus vocat *facultatem*, imperfectum vero *aptitudinem*, Ariſtoteles *dignitatem* nominat.

IV.

155. *Jus congenitum* voco, quod nobiſcum naſcitur, nulloque facto noſtro adquiſivimus. Jus *adquiſitum* appello, quod facto aliquo noſtro interveniente, aut inſtituto aliquo humano juſte adquiſivimus. *Jus tranſmiſſum*, quod ab aliis legitime in nos derivatur.

SCHO

SCHOLION.

156. Jus, quo gaudet quiſque, ne laedatur, congenitum eſt, quippe quod habet homo, quia homo eſt. Jus pacifice poſſidendi, quod legitima emtione comparavimus, adquiſitum eſt, quippe quod accedente facto noſtro adquiſivimus: quare & primum illud *abſolutum*, alterum *hypotheticum* recte dicitur. Quare abſoluta jura cuilibet a quolibet debentur, ſine reſpectu ad certum ſtatum, vel humanum inſtitutum: ad hypothica vero non adſtringitur homo., niſi ſupponatur certus ſtatus, aut certum inſtitutum humanum; aut aliquod factum.

V.

157. *Autochiria* eſt violenta ſui caedes.

VI.

158. *Defenſio violenta* eſt ſui defenſio uſque ad iniqui aggreſſoris interitum. Eſt autem *aggreſſor iniquus*, qui ſine ullo jure vitam noſtram aggreditur, etiamſi omi vacat culpa.

VII.

159. *Officia hominis erga ſeipſum* ea dicimus, quae ex praeſcripto juris naturalis quiſque ſibi debet, ſive abſoluta ſint, ſive hypothetica.

SCHOLION.

160. Qui hominis officia erga ſeipſum non a naturali jure proprie dicto, ſed ab honeſtate unice derivant, egregie falluntur: Nam ex abſolu-

ſoluto Dei dominio in res cunctas factas, praecipue vero in homines, conſequitur, non pleno nos jure noſtri, noſtrarum proprietatum, rerumque noſtrarum gaudere, ſed veluti uſumfructum dumtaxat nanciſci; ut idcirco ex praeſcripto ſummi imperantis juxta univerſalem mundanam legem uti eiſdem debeamus, atque in eum finem, ob quem ille eſt elargitus. Accedit, quod quum noſtrae naturae auctor tenerrimum noſtri, rerumque noſtrarum amorem nobis inſeverit; voluit profecto, ne noxam nobiſmet inferamus, utque noſtrae felicitati pro virili ſtudeamus. Neque adſentior Puffendorfio (*lib.* 1. *de off. hom. & Civis cap. V.* §. 1.), qui eadem officia non fine ambagibus ex ſocialitate deducit: ea namque, ſecluſo etiam quovis ad ſocietatem reſpectu, obſervare jubemur (§. 27. & 47.), utpote quae ex amore ſui ipſius *immediate* fluunt.

161. Felicitas, ad quam in hac vita connitimur, ea eſt, *non doleſcere corpore*, *non aegreſcere animo*, *idque vivide conſtanterque perſentiſcere*. Atvero omnis doloris, & aegritudinis vacuitas animali homini ac finito eſt omnino impoſſibilis. Corpore namque nudo, fragili, infirmo, multiſque indigentiis obnoxio in lucem editur; animo autem anxio ad moleſtias, humili ad timores, molli ad labores, prono ad libidines; flens naſcitur, ad vagitus ac ploratum abjicitur, atque a ſuppliciis vitam auſpicatur, ut difficile ſit exiſtimare, parens melior homini Natura; an triſtior noverca fuerit, elegantiſſime ait Tullius. Felicitas igitur, quam in hac vita obtinere licet, alia non eſt, niſi *minimis malis urgeri*. Quod enim aegritudinem, doloremque tollit, minuitve, voluptate nos perfundit, ideoque nobis bonum eſt: quemadmodum quod dolo-

lorem, aut aegritudinem infert, augetve, malum eſt habendum. Elateres quidem animalem hominem incitantes ſunt aegritudo, ac dolor: *adquirendae beatitudinis cauſſa, ac depellendae miſeriae cauſſa faciunt homines quidquid boni aut mali faciunt*, nimis philoſophice ſcribit Auguſtinus. At quoniam concupita necdum obtenta beatitudo aegritudinem, doloremve creat; adepta vero commovere deſinit: hinc ſolae vires hominem incitantes nonniſi in dolore, atque aegritudine ſunt quaerendae.

162. Quoniam mente, & corpore conſtat homo, & utraque ſubſtantia integram ejus eſſentiam conſtituit, qua homo eſt; ſunt autem in mente duae praeſtantiſſimae facultates, intellectus nempe, ac voluntas: hinc hominis officia erga ſeipſum partim ad intellectum, partim ad voluntatem, partim ad corpus, partim denique ad totum ſeipſum ſpectant. Eſt ſane corpus non hominis inſtrumentum, quemadmodum ſuperbiſſimà docebat Stoicorum philoſophia, ſed veriſſima, atque eſſentialis hominis pars: id vero ex neceſſaria illa inclinatione, quam habet mens ad conjunctionem cum ipſo corpore, fit maniſeſtiſſimum; necnon ex actionum conſonantia, quae inter utramque ſubſtantìam intercedit (*Pſychel. toto cap. IV.*).

163. Non ſunt tamen ſejungenda ea officia, ut vel mentem obbruteſcere patiamur, quo corpus ſervemus; vel corpus negligamus, quo colendae menti ſtudeamus: ita tamen ut princeps cura menti debeatur, tum corpori, externis deinde bonis, ſuo cuique ordine: & ſi quando contingat, ut officio noſtro aliqua ex parte deeſſe debeamus; nobiliora inferioribus praeferantur. Amoris namque ordinati ea eſt indoles, ut majus bonum prae minore expetamus; atque ubi de

de ſummo bono agitur, aequo animo reliquis bonis omnibus valedicere jubemur, ubi illo ſine ipſis potiri non poſſumus.

164. Intellectus cultura alia *generalis* eſt, *ſpecialis* alia: illa in eo conſiſtit, ut homines eſſe addiſcamus, ejuſque fundamentum eſt ratio, quae quum omnium hominum ſit communis, ad eamdem culturam peraeque omnes obligantur; haec ſingulis propria, ejuſque fundamentum eſt propria cujuſque indoles, ingenii vis, necnon vitae conditio, ac finis.

165. Generalis culturae praecipua pars eſt *ſapere ad beatitudinem*: ſic vero ſapiemus, ſi erga Deum pios, erga alios eſſe juſtos, quoad noſmet eſſe ſobrios probe diſcamus; ſobrietatis nomine auream illam mediocritatem intelligo, quae virtutis cujuſque moralis eſt propria, in eaque omnis vitae decor unice conſiſtit.

166. Religionis itaque ſtudium, prout ſuperiore capite explicuimus, primas obtineat partes neceſſe eſt. Proxima eſt ſuimet cognitio, qua *mens ipſa ſe agnoſcat*, *conjunctamque cum divina mente ſe ſentiat*, *ex quo inſatiabili gaudio compleatur*, ait Tullius. Quare de ſuimet perennitate pleniſſime convinci fatagat; deque ſuo fine, ad quem deſtinata eſt, informari ſtudeat, ne pecoris modo vita haec tranſigatur; de veris bonis, veriſque malis, deque turpi ac decoro inſtrui adlaboret, ſuaſque cognitiones firmiores vividioreſque attentione, meditatione, rectaque inſtitutione in dies fieri adnitatur. Sequitur cognitio jurium aliorum, circa quorum obſervationem juſtitia verſatur. Denique diſcendum, quantum patriae, parentibus, propinquis tribuere oporteat; quibus ſtudiis, aut artibus nobis, aliiſque utiles eſſe poſſimus, ne inutile telluris pondus evadamus. Sine eorum omnium cogni-

tio-

tione felices eſſe non licet. Interim quia major hominum pars ſtudiis, ac meditationibus vacare nequit; nihil magis conſideratum ſaepenumero, quam conſilia a ſapientibus petere, eorumque monitis parere; praecipue autem a ſumme ſapiento Deo (§. 135.), qui poſtulatus dat omnibus affluenter, ejuſque revelationi, ſi quam factam eſſe conſtiterit, firmiſſime adhaerere (§. 139.) Atvero contingere ſolet, ut refractaria voluntas deteriora ſequi cupiat, utut meliora intellectus viderit (*Pſych.* 281.); hinc paraeneticis ſententiis inſtruenda eſt mens, quas jugiter in promtu habeat, eaſque veluti quoſdam ſtimulos contumaci admoveat voluntati. Sunt autem *paraeneticae ſententiae* (italice *maſſime*) breves quaedam morales praeceptiones, quae elementorum inſtar menti occurrentes ad ſubita mala curanda ſufficiant.

167. Specialis cultura intellectus noſtri in eo poſita eſt, ut ea omnia addiſcamus, quae ingenii viribus, ſtatui, conditioni, muneri, quo fungimur, expediendo, conveniunt: nam ſine iis officio noſtro defungi non poſſumus; ideoque excuſandi non ſumus, ſi quod vitae genus, cui non eramus idonei, temere elegerimus, (§. 95.) vel aliis ſub noſtra poteſtate, vel diſciplina conſtitutis obtrudere haud dubitaverimus.

168. Huic officio adverſantur, qui intellectum obſoleſcere patiuntur, aut qui negligunt illum excolere earum rerum notitia, quas generalis, aut ſpecialis culturae ratio poſtulat; nec minus ii, qui utut minime otioſi, curioſa tamen, vel inutilia, neglectis neceſſariis, proſequuntur. At multo gravius delinquunt, qui pravis opinionibus a vero honeſtoque abhorrentibus, praecipue vero Reip. pernicioſis intellectum imbuunt, a pravis magiſtris, aut peſtilentibus libris edocti.

La-

Lacedaemones Archilochi poetae libros parum pudicos ex ſua civitate exportari juſſerunt, veriti ne eorum lectio plus moribus noceret, quam ingeniis exornandis prodeſſet: utinam & hanc conſuetudinem ceterae omnes tenerent Reſp. Ceteris pernicioſiores ſunt opiniones Atheiſmi, Epicureiſmi, fati cujuſdam ſiderei, ſtoici fatalem neceſſitatem humanis actionibus imponentis: haec quippe dogmata non minus doctrinae omnis moralis, quam Reip. peſtis ſunt. Denique in hoc officium peccant quotquot crapulis, voluptatibus, aut immoderato rerum uſu ingenii aciem ita obtundunt, ut ad verum a falſo diſcernendum, bonum a malo diſtinguendum omnino impares efficiantur. Repugnant quippe haec indoli amoris erga nos ipſos, atque humanae felicitati, necnon recto uſui noſtrarum facultatum juxta univerſalem Mundi Legem.

169. Quoniam ad beate vivendum magis intereſt recte agere, quam multa noſcere; hinc Voluntatis cultura maximam ſedulitatem, curamque depoſcit. Duabus partibus abſolvitur ea cultura, ut nempe voluntas malum averſari, bonum conſectari adſueſcat. Id vero ut adſequatur, omni ope adlaborare debet, ut vitia omnia reſcindat, deinde appetitiones ſuas in poteſtate habeat, eaſque ex honeſtatis legibus moderetur; ratio ſit reliquarum omnium facultatum regina, quae imperium, vireſque ſuas praeſertim in appetitus omnes humiliores exerceat; affectibuſque bene uti addiſcat. Non is enim ego ſum, qui cum Stoicis paſſiones animi morbos eſſe dicam, & affectatam ſapientis *apathiam* inculcare velim; imo potius cum Platone *animae alas*, & *quadrigas* eſſe ajo paſſiones, quippe quae temperatae quum fuerint, ad officia omnia cum alacritate praeſtanda tamquam validiſſimi ſtimuli

li nos impellunt: verum paſſionibus fraenos nequaquam permittet ſapiens, imo ſevera eas diſciplina continebit.

170. Equidem nonniſi diſciplina adipiſcitur mens robur illud, quod *virtutem* vocamus: virtus quippe idem eſt, atque vis; eaque ſola exercitatione, & uſu honeſtorum actuum comparatur. Virtutes autem, quae ceterarum omnium habentur veluti cardines, ſunt Prudentia, Fortitudo, Juſtitia, ac Temperantia, de quibus in Ethica. Prudentiae eſt diſcernere quod factu ſit optimum; Fortitudinis eſt conſtanter velle agere quod optimum fuerit judicatum, tardioreſque affectus excitare; Juſtitiae eſt jus ſuum cuique conſtanter velle tribuere; Temparantiae demum eſt praecipites perturbationes compeſcere, iiſque modum ponere. Sane ubi pulchrae exulant ejuſmodi virtutes, inordinate perturbateque omnia eveniunt; perpetua rationem inter ac voluntatem inteſtina ſeditio, nulla cum aliis hominibus amicitia, jugis a Deo diſcordia, quum impoſito ab eo ordini obnitamur. Ad haec omnia univerſalis Mundi lex nos obligat: qui enim ad finem eſt obligatus, ad media quoque obligatur; nobis igitur ad ſummam felicitatem contendentibus faciendum eſt id omne, ſine quo illa nequit obtineri.

171. Rurſus quoniam in adpetitione, ac poſſeſſione boni, malique averſatione conſiſtit perfectio voluntatis; bonum vero non adpetimus, niſi cujus praeſtantiam intellectu praelucente perſpeximus, neque averſamur, niſi malum eſſe novimus: liquet inde non eſſe nobis adquieſcendum in qualicumque boni malique cognitione, ſed dandam eſſe operam, ut ea viva ſit & efficax, ideoque in noſtras actiones influat. Ne autem in tanti momenti re fallamur, ſequentes has regulas

gulas ex immortali Genuenſi noſtro exſcriptas ob oculos habeamus oportet.

1. Qui dolor majori & diuturniori dolori fugando inſervit, bonum eſt praeclarum.

2. Quae voluptas majori privat & diuturniori, malum eſt manifeſtarium.

3. Quae voluptas dolorem paritura eſt, aut aegritudinem, in malis cenſenda.

4. Qui dolor magnam candidamque voluptatem parit, eximium eſt bonum. Unde eſt illa egregia in vita regula, *Saepe dolendum eſt, ne doleas*.

His addi debet alia 5. bonum ſummum prae aliis adpetendum, & reliquis omnibus aequo animo carendum, ſi illo ſine his potiri non poſſumus (§. 162.).

172. Sequitur corpus, cujus non eſſe curam negligendam vel inde patet, quod *ejus fulcris ſuſtinetur animus*, uti ſcribit Plinius, atque corpus hominis pars eſt eſſentialis (§. 161.); nihilque magis homini optandum, quam ut mens ſana corpus ſanum incolat. Praecipua corporis bona ſunt vita, integritas, ac valetudo; officii ergo noſtri eſt vitae atque incolumitati corporis, membrorumque integritati ſtudere; mortem vero, morbos, membrorum amiſſionem, eaque omnia, quae corpori ſunt detrimento, ſollicite amoliri; quae eidem ſunt neceſſaria ſuppeditare; rerum non naturalium prudentem habere curam. Sunt vero res non naturales ſomnus, & vigilia; motus, & quies; ingeſta, & excreta, animi demum pathemata: nempe inter ea omnia juſta tenenda eſt proportio, ut ſanum ſervetur corpus. Eamdem ob cauſam ſi corpus morbis vitiari contigerit, opportunis medicamentis ejus incolumitati erit conſulendum. Denique diſcat quiſque ſibi ſuus eſſe medicus explorando, quae res

aut

aut prodeſſe ſoleant, aut obeſſe, quanta debeat eſſe in vita continentia, quae praetermittendae voluptates.

173. Adverſus hoc officium peccant, qui ingluvie, ac immoderatis voluptatibus, vel immodicis laboribus corporis vires proſternunt, breviore mque efficiunt vitam; qui non urgente officio pericula ultro adeunt; qui parum valetudinem curant: *ſi damni dati accuſaret animam corpus, illam quin condamnetur, effugere non poſſe*, acutiſſime inquit Democritus apud Plutarchum de ſanitate tuenda. Peccant etiam qui praeter neceſſitatem membra amputant, aut deformant. Merito S. Ambroſius exhort. ad Virgin. damnat Hetruſcum juvenem, quem veteres fabulae ferunt, ſtigmatibus inaraſſe vultum ſuum, ne inſignis ejus pulchritudo mulierum amorem excitaret.

174. At quoniam plerumque fit, ut animam obbruteſcere, vitiis inquinari, paſſionibus inſervire patiantur haud pauci, qui aequo nimius corpus curant; hinc in ejus cultu prudentiſſima tenenda eſt oeconomia: *magnam mercedem pro inhabitatione anima perſolvit corpori*, philoſophice nimis ait Theophraſtus apud Plutarch. ibid. Equidem labores vel valde moleſtos ſuſcipere, ut propriae perfectioni ſtudeamus, aliorumve utilitati inſerviamus, laudabile eſt; pro Principatu, & Rep., magniſque Societatis commodis, pro tuenda veritate, pro juſtitia, pro ſalute publica ſubire pericula; imo & certae morti occurrere, magni animi eſt; multo magis pro aeterna felicitate obtinenda contumax corpus extenuare, ſeveraque diſciplina in ſervitutem redigere, pro tuenda Fide oblatam mortem alacriter ſubire, excelſi animi eſt: *agere & pati fortia, Romanum eſt*, *πολυτρύλλητον* erat Romanorum; nonne ma-

magis Chriſtianum erit? Sane quia ad ſummam felicitatem, Natura jubente, incitamur; hinc ſi quae media, Deo revelante, ad eam adſequendam beatitatem neceſſaria eſſe noverimus, eadem amplecti naturali ipſa Lege obligamur, uti perſpecte animadvertit Buddeus in ſua Morali Theologia: nam qua Lege ad finem, eadem & ad media tenemur. Atqui vitam deſerere omni jure vetitum, inquies. Mortem *directe* velle, uſque prohibemur; *oblique* eamdem permittere non eſt ei vetitum, qui evidenti periculo ſuam objicit vitam pro Patria, cui civium vita eſt obligata; aut ei, qui media ad aeternam beatitatem neceſſaria adprehendere animo intendit, urgente officio Chriſtiano *ſeipſum abnegandi*, *crucem ferendi*, *Chriſtum imitandi*. Videant ergo quam peſſime ratiocinentur tenebriones illi homines, qui adverſus Chriſtianorum, praecipue Monachorum auſteritates inſane debacchantur, perinde, ac eſſent iſti vitae deſertores.

175. Totius hominis, prout homo eſt, perfectio ac felicitas in eo conſiſtit, ut ſalva maneat corporis ac mentis unio: divulſis namque iis, ſupereſt quidem mens immortalis, non autem homo. Hinc autochiria, quae hominem deſtruit, peſſima eſt ejuſdem conditio, quippe quae non minus ſui amoris indoli adverſatur, quam humanam ſocietatem laedit, quae membri ſui jacturam facit; ſed & Dei jura recta impetit, quandoquidem nulla facta ab eo poteſtate, ejus ſervus e medio tollitur, & ſupremum, quod habet ille vitae noſtrae dominium per ſummum nefas in nos traducitur, quaſi in nobis eſſent exiſtentiae noſtrae rationes ſufficientes; necnon ordinatiſſima Mundi catena ſummi Imperantis injuſſu abrumpitur. Ultimum hoc argumentum proſequitur Socrates apud Pla-

to-

tonem in Phaedone: *Id mihi, o Cebes, recte dici videtur, Deum quidem curam habere noſtri, nos vero homines unam quamdam poſſeſſionem eſſe Deorum . . . . Nonne igitur & tu ſi quod ex mancipiis tuis ſe ipſum interimeret, quum tu minime ſignicaſſes velle te, ut e vita excederet, iraſcereris illi, & ſi poteſtatem haberes, poena quidem afficeres? omnino, inquis*. Recte hactenus: perperam vero ſubdit. *Fortaſſe igitur hoc modo non praeter rationem eſt, non prius ducere ſeipſum interficere, quam Deus neceſſitatem aliquam impoſuerit, qualem nobis impoſuit in praeſentia*: loquebatur Socrates de cicuta, qua ſumpta interiit, quum ab Athenienſium plebe capitis damnatus eſſet, accuſatus, quod Deos contemneret. Peſſime etiam ratiocinatur Seneca epiſt. 69.: *exerce te, ut mortem excipias: & ſi ita res ſuadeat, acceſſas: intereſt nihil, an illa ad nos veniat, an nos ad illam*: quod & fecit: nam accepta a Nerone ſententia, ipſe ſibi in balneo venas rupit.

176. Neque vero ulla excogitari poteſt hypotheſis, in qua poteſtatem nobis a Deo fieri e vivis excedendi praeſumatur. Plures ejuſmodi hypotheſes producunt autochiriae patroni, quarum prima ac praecipua illa eſt, vitam noſtram quandoque adeo fieri aerumnoſam, ut ſatius ſit mortem arceſſere: tunc enim minus malorum eligere fas erit (§. 179.). Inepte. Nam I. dolores, aerumnaeque tanquam noſtrarum perfectionum, atque *realitatum* limitationes haberi debent; igitur quamdiu aerumnis angimur, limitantur quidem noſtrae *realitates*, non omnino extinguuntur. Quod ſi licita tunc eſſet autochiria, licitum quoque foret nihil *realitatum* aliquibus *realitatibus* utut limitatis praeferre; eumque ſtatum, in quo humanis omnibus realitatibus eſt caren-

dum, limitatae entitatis ſtatui anteponere. Sane quamdiu ſumus, utcumque miſeri ſumus, exiſtentiae, atque eſſentiae bonis perfruimur; poſt obitum, omnes hominis, prout homo eſt, realitates evaneſcunt. Eſt namque corpus hominis pars eſſentialis (§ 161), atque in corporis ac mentis unione conſiſtit homo, prout homo eſt. Contradictorium eſt igitur, accerſitam ſibi mortem eſſe malum minus aegra vita, & aerumnoſa.

177. 2. Mala omnia phyſica, quibus aſflictamur, a Deo ſunt, eademque juſtiſſima (Theol. §. 85. 88.); nefandum itaque eſt auſum ejus voluntati obluctari, ejuſque ſuaviſſimae providentiae non adquieſcere, imo & contra ſupremi ejus dominii jura audere. Verum nonne medicamenta adhibere licet, ut a morbis, qui a Deo ſunt, evadamus, inquies? Licet ſane, quia medicamenta ad hunc finem a Deo data eſſe, eorumque uſum nobis fuiſſe praeceptum certo ſcimus: quod ſi vero eadem minime nos juverint, Dei voluntati adquieſcendum eſſe conſtat. At quem ad finem data ſunt nobis multiplicia a Deo venena, niſi ut placide vitam liceat deſerere, ubi intolerabilis fieri videatur? Fallo. Ad quid venena ſint data, neſcimus; illud tamen ſcimus, quod ubi bene fuerint praeparata, aut commixta, optima ſuppeditant pharmaca; atque hic erit inter alios unus eorum finis. Ceterum de vita intolerabili judicium quis feret? Quiſque in ſua cauſſa iniquus eſt Judex, praeſertim quum propriis praejudiciis ac paſſionibus eſt corruptus. Brutus *e. g.* Catonis factum damnavit, *quippe nec pium cenſens, nec virile cedere fortunae, & imminentia adverſa, quae ferenda fortiter erant, ſubterfugere*; & Catonis facinus ipſe poſtea eſt imitatus paſſionibus ſuis abreptus. Atqui nonne cru-

crudele atque tyrannicum eſt vitae beneficium, ſi voluntaria morte e malis evadere haud fas erit? Minime: tyrannus namque non eſt Princeps, qui ſua largitur beneficia quamvis laboribus, & periculis onuſta, quae beneficiis longe majoribus pandunt viam.

178. 3. Utrum malorum ſumma bonorum ſummam excedere valeat, Problema eſt, pro cujus utraque parte ſtant docti; lex interim, qua nos conſervare jubemur, certiſſima eſt: quid ſi contigerit eam violari, quum violentas nobis manus injicimus? Nempe ut temporaneas effugiamus aerumnas, aeternas ſummo Imperanti Deo dabimus paenas, quarum vel ſola probabilitas in officio nos debet continere (§. 148.).

179. Demum *mors, vel ut paupertatem, vel laborem, vel moleſti quidpiam fugiamus; fortis viri minime eſt, ſed potius timidi, quippe quum laborem fugere mollities ſit*, graviſſime ait Ariſtoteles Nicom. III. cap. 11.; excelſi animi eſt mala libenter tolerare, aliiſque virtutis exempla praebere.

Tu ne cede malis, ſed contra audentior ito
Quam tua te fortuna ſinet. Via prima ſalutis
Quod minime reris . . . . . .

Virgil. Æneid. VI.

Rectiſſime igitur Auguſtinus lib. 1. de Civit. Dei cap. 2. de Catonis, Bruti, Cleopatrae, aliorumque facinoribus pronunciavit, *non fortitudinis laudandae, ſed puſillanimitatis, ſeu ambitionis vituperandae teſtimonia*.

180. Aliam proferunt hypotheſim autochiriae patroni, nempe ſi vita noſtra in Dei probrum vergat, Samſonis exemplo; ſi malis moralibus debeat inquinari, exemplo Lucretiae Rom.; &

Chriſtianarum virginum, quae ne pudicitiae jacturam facerent, in flumen ſe jecerunt; ſi tantillo tempore praeveniatur jam jam imminens mors ingentibus comitata miſeriis, doloribus, infamia, evidenti peccandi periculo.

181. At ſubleſta ſunt omnia, ſuaque mole corruunt, ubi tria haec bene fuerint perpenſa, 1. nullum inferri Deo probrum, niſi a noſtra culpa, quae nonniſi voluntaria eſſe poteſt; 2. autochiriam eſſe ex malorum moralium genere; 3. ſolius Dei eſſe jus in hominum vitam, ideoque licere unice ſui caedem, ſi quando ipſe Deus homini poteſtatem faciat. Quare ſi vita noſtra in Dei probrum vergat, ceſſetur a peccatis, non vero per violentam ſui caedem novum Deo probrum inferatur. Quod ſi vero ejuſmodi probrum ab aliorum improbitate proveniat, ipſi ſibi videant. Samſonis exemplum ad rem non facit: quum enim acceperit a Deo vires ad ejus hoſtes proſternendos, ſi ipſe ſimul periit, non ei magis hoc imputandum, quam militi, qui in acie cum hoſtibus ſimul pereat. Malis moralibus inviti nunquam inquinari poſſumus. Pudicitia, quae animae virtus eſt, vi tentata non amittitur, ſed ſplendidior evadit, tamquam igne examinata. Atqui internae conſenſionis imminet periculum, ajeſ. Eſto: quid igitur? Declinandi periculi cauſſa, certo peccato per autochiriam te obſtringes? Belle! Sanctarum virginum facta non ſunt in exemplum trahenda: quod enim illae fecerunt, divino iſtinctu egerunt. Denique quod nunquam licet, nec momento praevenire fas eſt; atque impendens mors quibuslibet comitata miſeriis malum eſt phyſicum, quod per morale malum avertere nefas eſt.

182. Eximamus modo aliquot ſcrupulos. I. Quemadmodum nemo ſibi obligari poteſt, ita nec

nec injuriam ſibi facit, ſi vim vitae ſuae intulerit. Quod enim quiſque ſeipſum conſervare teneatur, id Deo debet, ac ſocietati; quare ſi e medio tollatur reſpectus ille ad Deum, ac ſocietatem (cui vitam noſtram inutilem factam eſſe ſupponimus), ſolus manebit ſenſitivus noſmet conſervandi inſtinctus, qui quum vim Legis non habeat, eidem repugnare culpa non erit. 2. corporis vitam deſtruere nil erit aliud, niſi materiae modificationem mutare; id vero nefas erit? 3. hominis vita onus eſt, aut beneficium; utrique cedere nil vetat.

183. Primum quam ſit ineptum ex §. 159., abunde liquet. Deinde quandonam ceſſabunt repectus noſtri adverſus Deum? fluunt hi ex rerum eſſentiis (§. 26.). Neque vita noſtra inutilis erit unquam ſocietati, cui praeclara dabimus fortitudinis exempla ſtrenue patiendo. Alterum helleboro indiget: tantumdemne eſt corporis vitam deſtruere, ac quadrata rotundis mutare? Si ita ſe res haberet, non modo ſeipſum ad libidinem, ſed & totum genus hominum citra omnem culpam letho demandare, fas eſſet. Verum licet daremus, autochiriam meram eſſe in materia modificationis mutationem, examinandum prius eſſet, quid juris in eam modificationem nobis competat: ſi namque nihil juris ab Imperatore Deo in eam modificationem fuerit tributum, nihil adverſus eam moliri licebit. Tertium quoque eſt ineptum: ſit namque utilibet onus aut beneficium hominis vita; neque oneri, neque beneficio renunciare, Deo invito, licebit: illud tamen verum eſt, vitam nempe noſtram eſſe depoſitum nobis creditum, quod ſancte cuſtodire jubemur, atque ullo modo prodere vetamur, ac ſoli domino repoſcenti reſtitue-

ſtituere obſtringimur, nullamque nobis in contrarium factam eſſe facultatem.

184 Illud profundioris indaginis eſſe videtur, an ſcilicet reo necem a legitimo Magiſtratu juxta Leges decretam inferre ſibi liceat: id namque nec juri ſocietatis, quae putrido eo membro jam orbari debet; neque Legi mundanae, quae Magiſtratibus ejuſmodi dedit poteſtatem, repugnare videtur; atque reus ſua an Carnificis manu intereat, perinde eſt. Neque deſunt exempla apud nationes, quarum Legibus jubetur, ut reis porrigantur gladii, quibus ipſi ſibi ventrem conſcindant. Verum id a naturali hominis propenſione prorſus abhorret: ideoque Mundana Lex niſi ipſa ſibi contradicat, Magiſtratibus nunquam fecit poteſtatem, ut necis, quam decreviſſent, reum ipſum facerent eſſe miniſtrum; neque reo unquam permiſit, ut mortem per alium inferendam ipſe ſibi conſciſceret. Quare barbarus omnino ac deteſtandus eſt dicendus mos nationum, quae reum ſibi gladium inferre praecipiunt.

185. Quae lex noſtram jubet conſervationem, eadem & vitam noſtram, ubi in diſcrimen venerit, expedire praecipit: quare quiſque ſe defendere tenetur, & niſi fecerit, vitae deſertor habebitur.

186 De violenta defenſione quaeritur, an ea ſit licita: Sane *quod quiſque ob tutelam corporis ſui fecerit, jure feciſſe exiſtimatur*, L. ut vim 3. ff. de J. & J.; *& vim vi repellere omnes Leges omniaque jura ſinunt*, Cap. ſi vero de ſent. excomm. *Hoc & ratio doctis, & neceſſitas barbaris, & mos gentibus, & feris natura ipſa praeſcripſit, ut omnem ſemper vim, quacumque ope poſſent, a corpore, a capite, & vita ſua propulſarent.* Cic. pro Mil. Equidem nemo tenetur alium amare pluſ-

pluſquam ſeipſum, & alterius vitam ſuimet vitae praeferre. Deinde ſupremus vitae Dominus, qui vitam nobis utendam tuendamque credidit (§. 182.), poteſtatem quoque facere debuit iis utendi mediis, ſine quibus creditum nobis depoſitum cuſtodiri nequit. Praeterea non pugnat id amori aliis debito, quum omnes pari ad vim repellendam jure gaudeant. Denique parum humanae felicitati conſultum eſſet, ſi juſtitia damno noſtro, atque injuria ab alio illata proprio ſui commodo ſervire deberet.

187. Quae in contrarium afferri ſolent rationes, huc redeunt. I. Quod praeſcribitur moderamen, vix, aut ne vix quidem adhiberi poteſt eo temporis veſtigio, quo quis invaditur; quum ab ira, & odio difficillimum ſit temperare: ubi vero ſumma eſt *medii* difficultas, opus ipſum periculoſum eſt, ideoque illicitum. 2. Homines natura, ac juribus ſunt aequales: par autem in parem nullum habet imperium. 3. noſtri generis amor poſtulare videtur, ne quem in aeterni mali ſortem conjiciamus, ut momentaneam vitam noſtram tueamur.

188. Moderamen adhibendum haud facile quidem eſſe ajo, non tamen impoſſibile; attamen haud minus difficile eſt, imo multo difficilius eſt caedem *frigide*, ut ita dicam, excipere; ac ſine magnis animi perturbationibus; quod nonniſi in hominibus inſigni virtute praeditis expectandum. Ceterum ira eſt nobis a Natura indita ad magna obſtacula pervincenda; quare ut propriae defenſioni ſtrenue vacemus, iraſci fas erit. Odii autem non eadem eſt ratio: at non video, cur tam difficile ſit ab odio temperare, ut pene impoſſibile ſtatuatur. Alterum eſt nihili argumentum: ſiquidem injuſti invaſoris caedes non ab aliquo in pares imperio, neque ab ali-

qua

qua invaſoris culpa, ſed a jure vitae noſtrae tuendae unice licet. Quare etſi omni culpa careat injuſtus aggreſſor, veluti ſi puer, aut furioſus, vel errans, *e. g.* miles hoſtem me eſſe reputans; non idcirco injuſta eſſet ejuſdem caedes, uti perſpecte advertit Grotius lib. II. de Jure bel. & pac. cap. 1. Tertium ſpecioſum eſt, attamen futile: nam vitam meam libenter letho offeram, ubi alius meae indigebit opis, ne aeterna vita periclitetur; atvero non eget, qui culpa ſua in aeterni mali ſortem ſe conjecit: deſiſtat enim ab aggreſſione, tutoque erit; neque vero eſt ille in neceſſitate, ſed voluntaria iniquitate conſtitutus. Quod ſi aggreſſio omni careat culpa, nullum imminebit invaſori aeterni mali periculum; ideoque aggreſſus jure ſuo utetur.

189. Licebit vero injuſti invaſoris caedes, ubi neceſſariae ſerventur conditiones, quae juſtum conſtituunt moderamen, quod *inculpatae tutelae* dici conſuevit: eae vero conditiones huc redeunt. 1. ſi aggreſſor hominem injuſte invaſerit. 2. ſi aggreſſus in eo periculo nulla ſui culpa verſetur. 3. ſi praeſentiſſimum ſit periculum in ſtatu civili, aut imminens in ſtatu naturali, quod neque ſine leviori aggreſſoris laeſione, neque minore ſui atque illius malo avertere poſſit aggreſſus, adeout alterutri ſit pereundum; quare ubi iſte omni periculo fuerit defunctus, nullo amplius defenſionis jure gaudebit. Hinc ſi aggreſſoris vulneratione depelli poſſit periculum, eum interficere nefas erit. Si pateat aggreſſo perfugium, tunc ne vulnerare quidem aggreſſorem licebit. Non idem eſt de fuga judicium: fugae enim ſe committere non tenetur aggreſſus, niſi ubi tutiſſima eſſe videatur: at quum illa plerumque plenum ſit aleae opus, ad eamdem nemo obſtringitur. Sane fugiens tergum adverſario praebere de-

debet ; ſi inter fugiendum cadat , actum de eo eſt : ſi eum adſequatur aggreſſor, ad defenſionem iterum nonniſi aegre ſe componet . 4. aggreſſoris caedes non ex odio , aliaque ex cauſa , ſed ad ſui tuitionem ſuſcipi debet.

190. Terminus , a quo incipit juſta defenſio violenta in ſtatu naturali eſt momentum imminentis periculi , quo nempe hoſtilem animum mihi quis oſtendit , quia ab eo tempore mihi jus eſt illum ut hoſtem habendi ; deſinit vero , ubi hoſtilem animum depoſuiſſe certo conſtiterit : in ſtatu civili a momento praeſentiſſimi periculi ; ſiquidem ante vel poſt illud temporis punctum ad Legum praeſidia , ac Magiſtratus auxilium eſt confugiendum. Verum in ſtatu ipſo naturali imminens periculum valde probabile ſit oportet, veluti ſi quem mihi inſidiari ſciam ; nec vero merae ſufficiunt parum probabiles ſuſpiciones . Quare abhorrenda eſt Hobbeſii doctrina *lib. V. de Cive*, ubi ſic ratiocinatur. Qui vult , ac poteſt me aggredi, ejus aggreſſionem praevenire poſſum : in ſtatu naturali viventes aggredi me volunt, quia naturaliter mali; poſſunt vero, quia arma parant . Gerrae ! Numquid arma parari non poſſunt ad ſui defenſionem ? Numquid juſtam ſuſpicionem creant Reſp. quae & armantur & in ſtatu naturali degunt ? Deinde homines natura eſſe malos , ſoli Hobbeſio , ejuſque gregalibus in mentem venit. Non eſſe expectandum ſummum periculum, libenter Hobbeſio conceſſerim : nemo enim eo uſque alienae ſaluti parcere tenetur , ut propriam negligat ſecuritatem : at meras ſufficere ſuſpiciones , nemo unus dixerit . Deinde in imminente etiam periculo non temere ad caedes eſt pervolandum, ubi mitiora ſuppetunt ſalutis praeſidia : veluti ſi fieri poſſint apparatus , quibus malum a cervicibus no-

noſtris amoliamur; ſi minis arceri, aut blanditiis conciliari poſſit inimicus; ſi alio commigrare haud incommode poſſimus.

191. Licita eſt ea defenſio adverſus omnes, per quos in periculum adducta eſt vita noſtra. Ab univerſali hac lege excipienda eſt ſacroſancta Principis perſona, cujus interitus non poteſt cum ſumma Reip. perturbatione non eſſe conjunctus; & totius Reip. bonum vitae noſtrae (§. 173.) eſt praeferendum. Scitum quoque eſt, Anarchiae ſtatum infeſtiſſimum eſſe Reip., ac tyrannide ipſa infeſtius. Adeatur Grotius de Jur. B. & P. *lib. I. cap. IV. §. 7. nu. 6. & ſeqq.*

192. Pro quibus rebus licita ſit violenta defenſio, modo inquirendum. Pro vita quidem, pro ſanitate, pro incolumitate membrorum licere eam defenſionem, omni vacat controverſia: haec namque omnia pari paſſu cum vita ambulare videntur. Sane quanta eſt oculorum orbitas; pedis, manuſve obtruncatio? Pro parentum quoque, filiorum, amicorum, imo & innocentium omnium in diſcrimine conſtitutorum defenſione licebit injuſtum invaſorem interimere. Invaſor quippe injuſtus quamdiu ab aggreſſione non ceſſat, jus amittit ad vitam; ſecus nonniſi injuſte poſſet interfici; vel igitur ab aggreſſo, vel ab alio interficiatur, perinde eſt. Hinc & pro tuendis fortunae bonis, ſine quibus vita periclitaremur, injuſtum invaſorem interimere fas eſt, ne mori nos cogamur: quod ſi vero bonorum amiſſio in ſummam egeſtatem minime nos adducat, non ſinit amoris ordo internicione furem avertere, quamvis liceat eumdem propulſare, bonaque noſtra pro virili defendere.

193. An & pro ſervanda pudicitia foeminae licebit aggreſſorem occidere? Naturalis Juris periti in contrarias abeunt partes: affirmant plerique,

rique, & in his Grotius, de J. B. & P. *lib. II. cap.* 1. §. 7. Puffendorfius, de offic. hom. & Civ. *lib. I. cap.* 5 §. 15., atque olim Plato §. 9. de Leg., & Hebraei apud Seldenum de J. N. & G. *lib. IV. cap.* 3.; negat Auguſtinus, *de lib. arbitr. I.* 5., Thomaſius Juriſpr divin. *lib.* 2. *cap.* 2., Buddeus in Theol. mor. Sane pudicitia eſt primus mulierum fundus, neque hac atrocior ei inferri poteſt injuria, *qua nihil gravius bella habent*, ajebat Quintilianus Declam. 349., praeſertim quia gravifſimum incumbit periculum ne corrumpatur animus, dum corpus vitiatur; ejus demum amiſſo irreparabile eſt malum: at ſcio etiam pudicitiam non corporis, ſed animi eſſe virtutem, quae nonniſi ultroneo conſenſu deperdi poteſt; proinde non videtur defendi poſſe morte invaloris, quod eripi non poteſt, niſi volenti; neque corporis integritas, quae ſola deperditur, ex iis bonis eſſe videtur, quae cum vita pari paſſu procedunt. Quare cum lex de non occidendo certa ſit, pudicitiae vero exceptio incerta; male conſcientiae ſuae conſuleret mulier, quae hoc defenſionis genere uteretur (§. 35.). Quod ſi pudicitiae aggreſſor arma corripiat, reſiſti ei poterit occiſoria defenſione, utpote qui injuſtus vitae invaſor factus.

194. An & pro amolienda, quae praevidetur, calumnia? minime. Nam 1. incertum eſt, num calumniator ſententiam mutet. Incertum quoque, num calumniae ſit fides adhibenda; imo & quandoque ex calumnia plus honoris nobis accedit. Incertum etiam, num calumniatoris interfectione ſervetur fama, an potius periculo objiciatur: ea eſt enim hominum indoles ad ſuſpicandum prona, ut quum caedis cauſſas perveſtigarint, eam tibi inurant maculam, quam a calumniatore metuiſti. 2. quamvis fama detrimenti aliquid pati

pati ſupponatur, eſt tamen reparabile malum; interitus calumniatoris malum eſt irreparabile. Jam ſi ad impediendam imminentem calumniam caedes calumniatoris ineptum eſt remedium; multo minus erit idoneum ad famam reparandam, quae ſi fuerit obfuſcata, calumniatoris occiſione quidem non redit, imo longe majores excitare ſolet ſuſpiciones.

195. An ad arcendam contumeliam *v. g.* intentatam alapam? Concedit Grotius *lib.* 2. de J. B. & P. *cap.* 1. §. 10., ſpectato mero naturae jure, juſtitiaque expletrice; negat, ſpectata Evangelii aequitate: ego vero primum falſum eſſe ajo. Alapa enim, ſimileſque contumeliae, vel tamquam dolorem inferentes ſpectantur, vel tamquam injuria nos afficientes: ſi primum; non eſt tantus dolor, qui morti aequiparetur: ſin alterum, moderamen exigo, quod jurium aequalitatem non excedat. Multo minus, alapa jam accepta, licebit ad caedem convolare, honoris recuperandi gratia, uti dici ſolet. Verus namque honor, veraque exiſtimatio nonniſi in benigna aliorum opinione de noſtra virtute conſiſtit, quae per injuriae tolerantiam non extinguitur, ſed valde augetur. Quod ſi ex accepta injuria ſatisfactio quaeratur, in ſtatu civili per Magiſtratum ea eſt expectanda: in ſtatu naturali, talio eſto, ad improborum audaciam compeſcendam, ſi talio haberi poſſit: ſin minus, ne in cauſſa noſtra judices ſedeamus, aequi bonique arbitri conſulantur.

196. Licebitne vero vitae cedere, ne iniquum aggreſſorem interficias? Illud nempe tantumdem eſt ac quaerere, num iniqui aggreſſoris caedes permiſſa modo ſit, an etiam praecepta. Plerique violentae defenſionis Legem permiſſivam eſſe autumant, ut proinde quiſque poſſit juri in

ſui

ſui ſavorem introducto renunciare. Henricus de Cocceis, Joannes Barbeyracius, & Heineccius cum aliis eam Legem praeceptivam eſſe cenſent, cui renunciare nunquam liceat. Grotius, ac Puffendorfius diſtinguunt inter perſonas, quas vivere aliorum valde intereſt, atque eas, quarum vita non ſit aliis valde utilis futura; illis violentam defenſionem praeceptam eſſe credunt, iſtis non item. Ego quidem cenſeo, inſpecto mero Naturali jure, eam Legem eſſe praeceptivam, omnibuſque eſſe latam. Eſt namque vita noſtra depoſitum a Deo nobis creditum (§. 182.), ut idcirco media omnia ad eam conſervationem neceſſaria aeque nobis praecipiantur, proinde etiam violenta defenſio, ubi alia non eſt evadendi via. Quod ſi vero ad ea dictata, quae divinitus accepta Religio nos docet, habeatur confugium, ibidem diſcemus, *neminem habere majorem caritatem, quam ut animam ſuam ponat pro amicis ſuis*. In eadem Schola accipimus omnes pro amicis habendos, neminem pro inimico: ſecus namque pro inimico quis mori auderet? Id autem naturalis ratio minime nos docet, quae amorem erga noſmet ipſos pro amoris norma adverſus alios habendum eſſe decernit, atque omnem caritatem a nobis incipiendam eſſe ſtatuit.

197. Neque me quidquam movent ratiunculae in contrarium afferri ſolitae; veluti humanum genus mei, an alterius individui jacturam patiatur, perinde eſſe. Nam I. eſſet oſtendendum, conſervationis Legem toti hominum generi, non vero ſingulis individuis eſſe latam, qualem eſſe procreationis Legem ſentiunt omnes. 2. Humani generis valde intereſt, morigeros homines diu vivere, non vero eos qui in ejuſdem generis dedecus, malumque nati eſſe videntur. Sane qui innocentem hominem interficere aggreditur, to-

tius

tius humani generis hoſtem ſe oſtendit ; quippe qui Legem, qua omnes homines continentur, violare haud veretur, ut idcirco ab eodem ceteris omnibus valde eſſet pertimeſcendum : 3. falſum omnino eſt, unius individui fieri jacturam . Nam qui alium injuſte occidit, ſimilia & ipſe meretur : ejuſmodi exequutivum jus, deſcripto civili Jure, in ſummis reſidet Poteſtatibus ; in ſtatu naturali penes familiarum ſegregum Patriarchas habetur . Quod ſi tandem ponere placeat (quod tamen eſt falſiſſimum), ita naturam rerum tuliſſe, ut quodam tempore homines ſuſi per agros diſperſique vagarentur ; rerum quoque naturam tuliſſe, inquiam, ut iniquus homicida utpote humani generis hoſtis, jure poſſet ab eo interfici, cui vitae ſuae eſſet verendum . Non ſum neſcius, ſpecioſum amicitiae, quae maxima atque heroica virtus eſt, nomen ab aliquibus huc advocari, ubi alter eſt necandus : at nemo mihi amicior, quam egomet mihi . Hic mihi in mentem venit S. Antonini doctrina part. II. tit. 1. cap. 3., licere nimirum ad caritatis perfectionem finere ſe occidi potius, quam occidere, modo qui invaditur ſit in morali certitudine verſari ſe in gratiae ſtatu : *nam alias ſtatue faceret, exponendo ſe morti corporis, & animae ; quum ſibi per mortem praecluditur via poenitentiae*. Atqui egregius ille caritatis actus, quo iniqui invaſoris vitae parcam, in gratiae ſtatum illico me deducit, inquies . Valde ambigendum ajo : martyrium namque eſſe poſſe ſine caritate erga Deum, illudque ad ſalutem nihil valere aperte docent divina novi Teſtamenti eloquia 1. ad Corinth. cap. XIII. v. 3., *ſi diſtribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, & ſi tradidero corpus meum itaut ardeam, caritatem autem non habuero, nihil mihi prodeſt* . Obiter haec, ne falcem in alienam meſſem immittere videamur.

198. Demum ut bene ſimus, carendum non eſt adparatu rerum, quae ad vitam, ſtatumque noſtrum decore tuendum ſunt neceſſaria: hic vero apparatus *facultatum* nomine; vel ſi adfluentior, *opum*, aut *divitiarum* nomine venit. Quare ne cogamur aliena quadra vivere, alioſve pecunia emungere, obligati ſumus ad tantas facultates adquirendas, quantas juſtis mediis poſſumus; adquiſitas vero conſervandas, prudenterque diſpenſandas. At vero tenenda eſt hic aurea illa mediocritas tantopere veteribus commendata; & neque avaros, neque diſcinctos eſſe quam maxime nos decet.

Vivitur exiguo melius: natura beatis
Omnibus eſſe dedit, ſi quis cognoverit uti.

Claudianus in Ruffin. I.

Fortunam Apulejus veſti comparabat, quam concinnam praeſtat eſſe, non longam, ut idcirco quidquid aptam moderationem ſupergreditur, oneri ſit, non uſui; & immodicas divitias ſimiles ingentibus guberbaculis eſſe ajebat, quae mergunt facilius, quam regunt.

199. Non comparantur autem facultates, niſi juſto labore, atque induſtria. Quare & ad labores in eo, quem quiſque ſibi elegit, honeſto vitae genere obeundos eſt obligatus. Faciunt ergo contra officium, qui vitam otio tranſigentes ignominioſa cum paupertate conflictari coguntur, uti ludiones, praeſtigiatores, aſtrologi judiciarii quos omnes a furibus vix differre ajo: nugaciſſimis enim nugis aliorum crumenas exhauriunt. Nemini contra vitio verti poteſt paupertas, ſi nihil ſuarum partium praetermiſerit, attamen iniquiorem fortunam fuerit expertus.

200. Maximae omnium divitiae ſunt fama , nomenque bonum , quae magnam humanae felicitatis partem efficiunt . Eſt autem bona fama aut *ſimplex*, aut *intenſiva* : ſimplex eſt, qua quis pro non malo habetur ; intenſiva , qua quis ob virtutem ac merita prae aliis gaudet ; utramque tueri , imo & amplificare ſtudebit ſapiens . Hinc & ad refellendas calumnias , mendaces nempe de vitiis ac imperfectionibus noſtris ſermones , obſtricti ſumus . Calumnias quum dico , *ſpecioſas* intelligo , quae nempe aliquam veritatis *ſpeciem*, coloremque praeſeferunt ; non vero *manifeſtas* , quas ſi operoſe refellere voluerimus , facile aliquibus ſuſpicionem movebimus : has qui effutit, ſibi , non alteri , nocet. Atque hic animadvertatur , ut ne quid ſit nimium ; neque propriae exiſtimationis amor uſque eo excreſcat , ut in mentis tumorem abeat , alioſque deſpicere faciat. Quod ſi calumniae ſint refellendae , juſtis mediis honeſtiſque utendum ; ſecus divinae voluntati adquieſcendum .

CAP. VI.

De officiis adverſus alios perfectis abſolutis.

DEFINITIONES

I.

201. Juſtitia eſt conſtans animi propoſitum jus ſuum perfectum cuique tribuendi.

SCHOLION.

202. Hanc juſtitiam vocat Grotius *expletricem* quae proprie, ac ſtricte juſtitia eſt, eique perfecta ſubſunt officia (§. 151.): nam quae *attributrix* juſtitia ab eodem appellatur, atque in jure imperfecto reddendo conſiſtit, imperfectaque reſpicit officia, minus proprie juſtitia nominatur. Nomenclaturae ratio ea eſſe videtur, quia quod jure perfecto mihi debetur, jam aliquo modo meum eſſe intelligitur, quod quamdiu abeſt, aliquam veluti lacunam conſtituit, quae expletur, quum quod debebatur accipio: veluti qui librum ex mea bibliotheca commodato accepit, eodem reſtituto illam non auget, ſed lacunam explet. Contra vero qui mihi praeſtat, quod ex jure dumtaxat imperfecto debebat, aliquid mihi novi attribuit, quod meum antea non erat. Hinc attributricem juſtitiam vocat Grotius comitem earum virtutum, quae utilitatem aliis afferunt, veluti liberalitatis, miſericordiae, humanitatis. Rectiſſime igitur de Juſtitia pronunciavit (*Ariſtoteles I. ad Nicom*) *juſtitia alienum videtur eſſe bonum, quia ad alterum refertur: aliorum enim utilitati conſulit.*

COROLLARIUM

203. Quoniam perfecta officia a mundana lege (§. 151.) afferuntur, *coactionem* quoque admittunt, in ſtatu quidem naturali per vim, bellumve; in ſtatu civili per Magiſtratum, unde & *actionem*, in foro humano dare dicuntur: Lex namque facultate cogendi gaudet. Officia autem imperfecta nonniſi ex virtute debentur (§. 152.) quare & coactionem reſpuunt, nec ullam dant in foro actionem: virtus enim ſi coacta praeſtetur, jam virtus eſſe deſinit.

II.

204. *Dolus malus* eſt occulta machinatio ad nocendum alteri; ſi alterius utilitas animo intendatur, *bonus* erit dolus.

III.

205. *Damnum* eſt omnis corruptio, aut diminutio rei ad nos perfecto jure pertinentis nullo jure facta.

SCHOLION.

206. Damnum a *demendo* eſſe dictum animadvertit Grotius, & ex Rom. jure eſt quaevis patrimonii noſtri diminutio ab altero facta per injuriam: at in jure noſtro latius accipitur.

IV.

207. *Culpa* dicitur debitae diligentiae omiſſio,

SCHO-

SCHOLION.

208. In rebus moralibus duo extrema eſt invenire, ac inter utraque medium: hinc triplicem negligentiam, ſeu culpam diſtinguunt juris magiſtri, *latam* nempe, *levem*, ac *leviſſimam*. Lata eſt nimia illa negligentia, quae hominum diſſolutorum propria eſt; levis eſt omiſſio ejus diligentiae, quam patres familias frugi adhibere ſolent; leviſſima eſt omiſſio nimiae ejus diligentiae, qua utuntur moroſi quidam homines inſtar Plautini Euclionis in Aulularia.

V.

209. *Caſus fortuitus* dicitur omne, quod humano captu praevideri nequit, aut cui praviſo reſiſti non poteſt.

VI.

210. *Sermo* eſt articulatus ſonus, quo animi noſtri ſenſa cum aliis clare, diſtincteque communicamus.

SCHOLION.

211. Loco ſermonis ſtat ſcriptura, cujus ope per litterarum figuras cum abſentibus animi noſtri ſenſa communicamus. Sed & eſt veluti ſermo, quum per digitos, pedes, oculos, alioſque geſtus manifeſtamus quod animo gerimus.

VII.

212. *Mendacium* eſt falſa aſſertio, qua jus alterius perfectum, imperfectumve laeditur.

VIII.

213. *Falſiloquium* eſt falſa loquutio ſine ulla juris laeſione.

IX.

214. *Falſiloquium officioſum* eſt falſa aſſertio, quae nihil detrimenti, ſed multum utilitatis nobis, aliiſve eſt adlatura.

X.

215. *Diſſimulatio* eſt ſilentium rei, cujus notitiam alter jure perfecto, imperfectove exigere poteſt.

XI.

216. *Taciturnitas* eſt ſilentium rei, cujus notitiam alter nullo jure exigere poteſt.

XII.

217. *Jusjurandum* eſt religioſa adſeveratio, qua Deus in teſtem, vindicemque vocatur; ſi falſum illud fuerit, *perjurium* dicetur.

SCHOLION.

218. Aliud *adſertorium*, aliud *promiſſorium* vocatur: illo utimur ad rei praeſentis, aut praeteritae adſeverationem confirmandam: hoc de re futura ſacramenti religione fidem noſtram obſtringimus.

XIII.

XIII.

219. *Reſervatio mentalis* eſt loquutionis genus, quo veritas mente retinetur, verbis falſum exprimitur: veluti ſi dicas, promitto me tibi daturum centum aureos; mente tamen retineas, *dicis cauſſa*.

AXIOMA.

Quod tibi fieri ab alio non vis, ne tu alteri facias.

SCHOLION.

220. Hoc axiomate perfecta officia omnia adverſus alios continentur. Haec ſententia Alexandro Severo Imperatori adeo in deliciis fuit, ut eamdem in palatio, publicisque operibus praeſcribi juſſerit; & quum aliquem emendaret, ob illatam alteri injuriam, per praeconem clamari praeciperet, *quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris*, narrat Lampridius *cap. LI.*

221. Omnium ejuſmodi officiorum fundamentum eſt cuncta in omnibus hominibus naturae ſimilitudo, ex iiſdem partibus eſſentialibus, mente nimirum, & corpore organico animali coaleſcens, utut perfectionum gradibus, ingenio, moribus, forma exteriore, ceteris, quae mera ſunt *accidentia*, alii aliis praeſtent. Nam quemadmodum idem eſt quoad ſubſtantiam homo infans ſi fuerit, tum puer, adultus, ſenex, licet varias ſubeat viciſſitudines: ita eadem eſt in perſpicaci homine ac ſtupido, robuſto ac imbecilli, pulchro ac deformi, praeclaro atque obſcuro naturae ſpecies. Hinc vero fit, ut & aequalia jura conſequantur (§. 27.); ſub eadem-

que mundana Lege nemo prae aliis, aequalium jurium perfectorum praerogativam ſine juſta cauſa adfectare queat. Deinde felicitatis ſtudio tenemur omnes (§. 27.): at vero pars magna noſtrae felicitatis eſt, ut nobis cum aliis bene conveniat; bene autem cum aliis convenire haud nobis licet, niſi eorum felicitati conſulamus, ideoque amore eoſdem proſequamur; nemini igitur vel minimam laeſionem, quae recta fronte amori, ac felicitati adverſatur, inferendam eſſe liquet. *Quid ſi nocere velint manus pedibus, pedibus oculi? ut omnia inter ſe membra conſentiunt, quia ſingula ſervari totius intereſt corporis; ita homines ſingulis parcent, quia ad coetum geniti ſunt: ſalva enim eſſe ſocietas, niſi amore & concordia partium non poteſt*, egregie ſcribit Seneca de Benef. Sane omnes homines cives ſunt maximae illius Reip.; cujus eſt ſummus imperans Deus (§. 28.).

222. Nemo itaque laedendus in vita per homicidium, neque in corpore membrorum mutilatione, verberibus, inedia, cruciatibus, vinculis, ubi nihil tale meritus fuerit. Neque fas eſt alterius obeſſe ſanitati, nec quemquam mortis periculo objicere, in ſervitutem injuſtam detrudere, neque rebus vitae ſuſtendandae neceſſariis privare: nam nihil horum nobis fieri volumus.

223. Rurſus quoniam noſtra felicitas ad mentem praecipue ſpectat, hinc nemo in mente laedendus: imo quantum mens corpori praeſtat, tanto illius laeſio hujus laeſione gravior eſt habenda. Sapientiſſime ait Epictetus: *ubicumque in his, quae ad corpus pertinent, poſſeſſionibus aliquid damni acceperimus, illico jacturam nos feciſſe arbitramur; ſed in voluntatis propoſito quum detrimenta nobis eveniunt, nihilominus tamen damnum*

num nos accepiſſe nullum cenſemus, quandoquidem ei, qui corrumpit alterum, aut corrumpitur, nec caput dolet, nec oculus, nec coxa; ſed nec fundum amittit, atque aliud nihil volumus, quam iſta. Inter nos vero diſceptatio nulla eſt, ne mediocris quidem, utrum ſatius ſit voluntatem habere pudicam, & fidelem, an vero impudicam, & infidelem.

224. Nemo itaque laedendus ratione intellectus, vel neglectu culturae, ad quam alteri impendendam quis obligatur; vel falſis pravisve doctrinis. Natura quidem hoc impoſuit parentibus officium, ut tenellas liberorum mentes ipſi per ſe excolant, aut idoneis doctoribus committant excolandas. Artium quoque Magiſtri creditos ſibi diſcipulos ex conventione erudire tenentur. Quare ſi parum idoneos ad erudiendum ſe agnoſcant, neglecti officii rei habebuntur, atque ad reparationem damni illati obſtringentur. Abeſſe quoque debent ab inſtitutione fraus omnis ac mendacium, & quoad fieri poſſit, omnis etiam error, praeſertim vero peſtilentia dogmata, quae animum depravant. Fugienda item eſt taedioſa docendi ratio, atque affectata ſeveritas, quae diſcipulorum animos ab omni veritatis ac ſapientiae ſtudio avertunt. Quibus demum doctrinis, ac praeceptionibus praecipue imbuendus ſit intellectus, dictum eſt (§. 164. 165. 166.).

225. Neque ratione voluntatis, cujus laeſio *corruptionis* nomine venire ſolet. Violati hujus officii rei ſunt, qui alios ad pravas voluptates, libidinem, aliaque vitia lenociniis pelliciunt, juſſu aut conſilio impellunt, verbo aut exemplo exſtimulant; necnon ii, qui quum alios a vitiis prohibere, aut in bonam frugem revocare potuerint, ac ſimul debuerint, ea qua par eſt ſedulitate facere neglexerunt: non minus namque lae-

laedit alterum, qui eidem infert malum; quam qui malum non amolitur ab eo, a quo amoliri debebat, quum poſſet.

226. Neque ratione pudicitiae ſeu vi adhibita, ſeu dolo malo, ſeu blanditiis utendo: praeſtantiſſimum namque bonum eripitur, & alterius nomini turpiſſima aſpergitur labes. Quid ſi mulier ſit ſui juris, ultroque conſenſerit? volenti enim non fit injuria; ceſſatque axioma, *quod tibi non vis, alteri ne feceris*. At quamvis injuria abeſſe videatur, laeſionis tamen crimen non abeſt, quo mulieris voluntas corrumpitur, fitque eadem infelicior; quod profecto nollet, ſi ſaperet. Deinde nihil juris eſt in foemina, ut animum accommodet facinori, quod Lege prohibetur.

227. Neque ratione famae, quae & preſtantiſſimum eſt bonum, ſive *ſimplex* illa fuerit, ſive *intenſiva* (§. 199.); quaeque vel *calumniis* laeditur, inurendo alteri maculam, qua ille eſt immunis; vel *proditione*, qua alterius vitia aliis ignota deteguntur.

228. Factis quoque, verbis, geſtibus, cogitationibus nemo eſt laedendus. In foro quidem humano de ſolis externis actionibus inſtituitur judicium, quandoquidem de internis nullum inſtitui poteſt: at in foro Dei, qui intimitus corda ac renes ſcrutatur, de liberis cogitationibus, quae ſolae moralitatis ſunt capaces (§. 59.), habetur ratio. Quare odia, contemtus, invidia, idque genus alia Mundana Lege vetantur, qua mutuus amor praecipitur.

229. Sermocinantium officia modo perſcrutemur. Ut homines cogitata ſua cum aliis communicarent, illud omnino fieri oportuit, ut quadam voluntatum communione certas effingerent voces, iiſque ſuas imponerent notiones,

quo

quo alteri alter, quid mente gerat, quid velit nolitve, facile poſſit indicare: impoſitio illa plurium conſenſu primum facta eſt, mox aliorum, qui illos ſunt imitati. Hinc ſequentia ſermocinantium officia deducit Puffendorfius *lib. I. cap.* 10. *de off. hom. & civ.* 1. quiſque eſt obligatus ad eam ſignificationem voci tribuendam, quae conſenſu hominum vocabulo data eſt: nam ad id tenetur ex pacto; idque exigit finis ſermonis, alias inutilis futuri. 2. mutata ſignificatio in ſermone eſt obſervanda: verba ſiquidem valent, ut nummi, quorum valor hominum arbitrio mutari poteſt. 3. quamvis arbitrariae ſunt nominales definitiones; ſtulte tamen agit, qui vocabulum aliter definit, ac ſolent alii. 4. ſi quis inuſitata voce, vel phraſi uti velit, eamdem explicare tenetur; quod ſi explicare non poſſit, non aegre feret, ſi ignorantiae, vel fraudis arguatur.

230. Non eſt autem datus nobis ſermo Dei cauſa, cui nudae apertaeque ſunt ſingulae noſtrae cogitationes; neque brutorum cauſa, quae animi noſtra ſenſa intelligere nequeunt, verborumque ſonum nonniſi ut alia ſigna, quibus ſunt adſueta, percipiunt; ſed noſtri, aliorumque hominum cauſſa, ut quid nobis fieri volumus, quidque alii ſibi fieri cupiunt, explicare valeamus. Duplex igitur verborum finis, primus, ut in aliorum notitiam noſtrae perveniant cogitationes; alius, & quidem ultimus, ac primario intentus finis eſt noſtra aliorumque utilitas, quam pro virili promiſcuus amor proſequi jubet: atvero omnis laeſio mutuo amori adverſatur; ſermone igitur nemo eſt laedendus. Omne itaque mendacium, (§. 211.), omnis diſſimulatio (§. 214.) naturali jure prohibetur, non vero omnis taciturnitas (§. 215.), neque fictus ſermo ad juvandum

dum ſuſceptum, veluti quum fabulis enarratis prodeſſe puerulis volumus. Quod ſi mendacio, vel diſſimulatione jus alterius perfectum laedatur, juſtitia quoque violatur (§. 200.). Neque omni vacat culpa falſiloquium, abſque ulla cauſa ſuſceptum, quippe quo in errorem inducitur alterius intellectus nihil tale meritus, ut idcirco aliqua eidem laeſio obveniat.

231. De officioſo falſiloquio diſceptatum, praeſertim ſi magnum aliquod ſequatur bonum, ſeu noſtrum, ſeu alterius; vel magnum vitetur malum, dummodo tamen aliorum jura ſint ſalva. B. Auguſtinus vocat hanc *magnam quaeſtionem*, *latebroſam tractationem inter doctos alternantem*, contrariis nempe ſententiis, & argumentis vehementer agitatam; candideque fatetur, pleriſque veterum chriſtianorum placuiſſe, nihil vitii ejuſmodi falſiloquiis ineſſe.

232. Haec quaeſtio ſi auctoritatibus velit definiri, illud 1. conſtat, nullum ſuper ea fuiſſe interpoſitum ab Eccleſia judicium, ut idcirco una ex iis ſit quaeſtionibus, quae in utramque partem diſceptari poſſunt. 2. magna Philoſophorum pars ejuſmodi favent falſiloquiis: notae enim ſunt Socratis, ejuſque diſcipulorum, Platonis, Xenophontis, & alicubi Ciceronis doctrinae: Stoicique omnes inter ſapientis dotes ponebant *mentiri ubi, & quomodo oportet*, uti ait Plutarchus, & Quintilianus. Adſentiri quoque videtur pluribus in locis Ariſtoteles; & quamvis ad Nicom. VII. ſcribat, *per ſe* mendacium turpe ac vituperabile, veritas pulchra ac laudabilis: illud tamen *per ſe*, nihil aliud innuit, niſi falſam aſſertionem *per ſe* ſolum inſpectam eſſe vituperabilem (§. 229.). 3. notiſſimae quoque ſunt vetuſtiſſimorum Patrum doctrinae, veluti Origenis, Clementis, Tertulliani, Chryſoſtomi, Hieronymi, Caſſiani,

La-

Lactantii, imo pene omnium, qui pro falſiloquiis calculum ſuum adjecerunt. In contraria omnia abiit Auguſtinus in libris de mendacio, arbitratus, falſam omnem loquutionem natura eſſe malam, nunquam proinde permittendam.

233. Quod ſi rationum momenta perpendere libeat, utriuſque partis argumenta in medium proferam. Ajunt itaque falſiloquii patroni: quum ſermonis inſtitutio noſtram, aliorumque hominum utilitatem reſpiciat, alios autem non majore, quam nos, ſed pari amore proſequi teneamur; hinc falſi aliquid dicere, aut ambiguo uti ſermone fas erit, ubi alteri nullum ſit jus veritatem a nobis exigendi, ſaltem quum honeſte non poſſumus non reſpondere ei, cui nihil commodi, nobis vero aliiſve multum detrimenti eſſemus adlaturi; vel ſi ſcitanti nihil detrimenti, ſed & haud parum utilitatis obveniret. Sane quum duo jura colliduntur, honeſtas eſt ſervare majus. Jus eſt *e. g.* interrogantis ne decipiatur; alterius, ne interficiatur: ſi nequeam utrumque ſervare, interrogantem decipiam. Hactenus illi: audiamus modo alterius partis aſſertores. Falſiloquium ſine ordinis perturbatione eſſe nequit: ſunt enim verba inſtituta non ad alios fallendum, ſed ad cogitata ſua aliis manifeſtanda; verbis ergo uti ad fallendum, ordinis perverſio eſt. Deinde falſiloquium divinae veracitati adverſatur, proinde natura malum, utpote quod a perfectiſſima regula difforme. Laeditur praeterea alterius intellectus ad veritatem factus, offuſo eidem errore.

234. Cenſent tamen falſiloquii patroni, recenſita argumenta ſpecioſa magis eſſe, quam vera. Ad primum quod ſpectat, quoniam ultimus ſermonis finis eſt hominum utilitas (§. 229.); huic fini debet ſubeſſe internarum cogitationum ma-

manifeſtatio. Recte ait Andronicus Rhodius de Medico apud aegrotum mentiente: *decipit quidem, ſed deceptor non eſt; non enim propoſitum ſibi habet decipere, ſed ſervare aegrotum.* Eadem ex ratione Chryſoſtomus falſam Rahab loquutionem vocat *pulchrum mendacium, pulchrum dolum, divina non prodentem, ſed pietatem cuſtodientem.* Medici inſtar ſe geſſiſſe videtur Nathan adverſus David Reg. II. 12. necnon Propheta alius adverſus Achab Reg. III. 20.: utroque exemplo liquet, probatas fuiſſe Deo innocentes fictiones, loquutioneſque ad juvandum adhibitas. Equidem mendacii deformitas tota in animo fallendi conſiſtit. Finge aliquem crebris mendaciis fidem ſuis dictis ademiſſe: uti nemo facile huic credit, quamvis vera dicere velit; ita iſte aliorum diffidentia abuti poſſet ad eoſdem decipiendos, ac vera proferendo deciperet. Ageſilaus ſecum reputans, ſi palam pronuntiaſſet quo iter eſſet facturus, hoſtes non credituros; ſe iturum Sardes pronuntiavit, quo revera ire decreverat; atque ita decepit Tiſſaphernem, qui non dubitans Ageſilaum aliud ac pronuntiaſſet, eſſe facturum, in Cariam profectus eſt: en politicum arcanum ad decipiendos hoſtes aptiſſimum, Cornel. Nep. in Ageſil. 3. Ceterum quod dicitur, ſermonem ad ſua cogitata patefacienda fuiſſe inſtitutum, valde aequivocum eſſe ajo. Alia namque eſt obligatio apte verba adhibendi, ut ex illis animi ſenſa intelligantur; alia vero obligatio animi ſui ſenſa verbis aliiſve ſignis aperiendi. Illam quidem ex generali quadam inter homines conventione ortam eſſe fatetur Puffendorfius; hanc vero derivari ait vel ex peculiari pacto, veluti ſi quis erudiendus ſuſcipiatur; vel ex naturali praecepto, veluti ne alicujus laedantur jura; vel ex negotii natura, veluti in contractibus. Quid igitur, ſi petulans

tulans quiſpiam ex me ſciſcitetur, quod ſua non intereſt, quod mihi aliiſve ſit valde nociturum? Taceatur, inquies. At ſciſcitans is eſt, cui honeſte non reſpondere haud potero; aut ea eſt quaeſitae rei indoles, ut ipſum ſilentium ſit proditio; quomodo me geram? Falſum loquar. At ſciſcitantis mentem pervadit error? pervadit quidem; ſed ipſe petulantia ſua eſt meritus: ego interim falſiloquio utar, tamquam helleboro; neque aliter eo utendum dicet, qui aequo judicat jove.

235. Neque vero ad divinae veracitatis normam eſſe exigendam falſiloquii quaeſtionem ſtatuunt iſti: humana ſiquidem imbecillitas divina quaedam attributa quandoque non valet imitari, quumque unum imitari ſtudet, in alterum offendit; veluti ſi quum vera loquar, alteri noceam, tunc a divinae bonitatis norma abſcedam. Sane falſa loquutio non deſinit eſſe defectus, at in homine finito venia dignus, Deo autem prorſus indignus. Quare nemo nobis vitio vertet, ſi quando Dei veracitatem imitari non datur; & quia Deus caritas eſt (§. 23.); hanc imitari ſatagemus. Sunt quippe in Deo perfectiones, quibus ſe Deum oſtendit; ſunt aliae, quibus ſe Patrem manifeſtat: iſtas facilius eſt nobis imitari in hac vita degentibus, illas in alia.

236. Non eſt inficiandum aliquam inferri intellectui laeſionem, offuſo eidem errore; at error nonniſi phyſicum eſt malum, quod in comparatione longe majoris boni aſſequendi malum eſſe deſinit (§. 170.). Ego equidem ita me ſentio comparatum, ut libentiſſime decipi paterer, quo magni momenti bonum adquirerem, aut valde magnum malum, morale praeſertim, declinarem: ejuſdem furfuris ceteros homines eſſe autumo, niſi Platonicae civitati adſcribi malint;

qua-

quare ceſſat hic axioma, *quod tibi non vis, alteri ne feceris*. Neque ad rem facit, quod alii obganniunt; admiſſa ſcilicet falſiloquii doctrina, peſſum iturum hominum ſocietatem, ac Remp., cujus vinculum in veracitate eſt poſitum: nam falſiloquio tamquam helleboro utendum eſſe diximus, nulliuſque jura laedenda eſſe ſtatuimus; eſtque e Rep. & humanae ſocietatis maxime intereſt, ut aliqui decipiantur; atque adprime expedit, ut petulantiſſimis hominibus, ubi ſilentio defungi non licet, falſam opinionem (quae minimi, vel nullius momenti eſt) propinemus vice ignorantiae, in qua prius detinebantur. Satis hactenus: ego nihil pronunciare auſus judicium ad Eccleſiam refero (*).

237. De mentali reſervatione non eſt, cur hic dicam: quum enim illa in falſa loquutione conſiſtat (§. 218.), mendacium erit, aut falſiloquium. Egregie de illa pertractatum fuit a Lud. Montaltio Epiſt. provin. IX. adverſus molliores caſuiſtas. Qui veritatis partem ſupprimunt, dum aliquis integram veritatem vult intelligere, eamque intelligendi perfecto imperfectove jure potitur; is

(*) Mendacii vocabulum in ſacris litteris peſſimam in partem accipi conſuevit, ac plerumque pro perfidia, dolo malo ſumitur juxta conſuetam Hebraeorum, atque Helleniſtarum phraſim. Hinc illae loquutiones, *os quod mentitur*, *occidit animam*, nempe hominem; numquid officioſum falſiloquium hominem interficit? Mendacii inventor dicitur eſſe Diabolus; perfidia nempe, peſſimuſque Diaboli dolus, quo protoplaſtos in errorem induxit, graviſſimamque humanae genti noxam intulit. Mendacium a regno caelorum excludere aſſeritur; deceptiones nimirum grave damnum inferentes. Miror itaque haec loca indiſcriminatim contra quodvis falſiloquium adduci ſolere a quibuſdam, qui ubicumque *mendacium* olfaciunt, jam conclamatum eſſe ſibi perſuadent.

is diſſimulator eſt, alteriuſque jura laedit (§. 215.). Qui ambiguo ſermone deliberate utitur adverſus eum, qui candidam veritatem ſcire cupit, ad eamque ſciendam jus habet; ille alieni juris violationem meditatus eſt: cur enim ambigue eſt loquutus, niſi ut alter veritatem non intelligeret?

238. Dicamus de jurejurando, quod eſt *aſſertio religioſa, qua divinae miſericordiae renunciamus, aut divinam poenam in nos depoſcimus, niſi verum dicamus. . . . Unde & monſtroſum plane peccatum eſt perjurium, quippe quo perjurus teſtatur, ſe contemnere Deum, metuere homines, ac ſeſe audacem oſtendit adverſus Deum, timidum erga homines*, ait Puffendorfius (*lib. IV. cap. 2. de I. Nat. & Gent.*). Jurisjurandi fundamentum poſitum eſt in generali humani generis perſuaſione, omniſcium juſtiſſimum potentiſſimum Numen cordis noſtri ſecretiſſima penetralia profundioreſque receſſus introſpicere, falſitatem ac deceptionem odioſiſſimas ei eſſe, atque a perjuris graviſſimas ſumere velle poenas. Hinc & praeſumtio veritatis ſtatim excitatur, quia nempe nemo tam egregie impius eſſe judicetur, ut infinitam Dei potentiam ac juſtitiam in ſe audeat concitare.

239. Otioſa igitur quaeſtio eſt, licitumne ſit jusjurandum: quum enim illud ſit religioſa divinarum perfectionum, ſummae veracitatis, ſapientiae, juſtitiae, potentiae, aperta profeſſio; ſummum quoque Deo praeſtat honorem, modo omnis abſit abuſus, qui ſolus in ſacris litteris vetatur. Deinde jurejurando amori erga alios conſulimus, quum illos ex incertis certos faciamus; & amori erga nos ipſos nullam inferimus noxam, quia in noſtra eſt poteſtate diram Numinis vindictam a nobis amoliri. Otioſa etiam quaeſtio eſt, num in jurisjurandi cenſum veniant adſeve-

rationes factae per eas res, quarum nulla mentem vincit religio: hujuſmodi erant *Socratica* vulgo dicta juramenta *per anſerem*, *per canem*, *per arborem*; quibus loquendi formulis modeſtiſſimus Socrates jurisjurandi licentiae froenum imponere voluiſſe cenſetur, quum invaluiſſe videret apud plurimos ille pravus in ſermonis ornamentum jurajuranda adhibere; quapropter non ut per Deum, ſed ne per Deum juraretur, predictas loquendi formulas ille excogitavit. Ajo igitur ſola eſſe veri nominis juramenta, ubi Divini Numinis majeſtas *expreſſe*, aut ſaltem *oblique* in teſtimonium ac vindictam vocatur: id vero ex intentione loquentis, vel ex formulis, imo & ex nutibus, geſtibuſque apud populos receptis colligere eſt. Alius quoque occurrit jurandi modus per *execrationem*, veluti per proprium caput, per oculos, per filios, ut apud Virgilium *Æneid. IX.* Aſcanius, *per caput hoc juro*, *per quod pater ante ſolebat*; hujuſmodi formularum ſenſum hunc eſſe ait Puffendorfius *lib. IV, de J. N. & G. cap.* 2., Deum obteſtari, ut perjurii ultionem in rebus iſtis nobis cariſſimis capiat.

240. Quoniam adhibentur jurajuranda, ut homines metu Numinis ad verum loquendum, ſervandaque promiſſa adigantur; hinc & cujuſque religioni attemperanda eſſe conſtat, modo jurandi formulae in veri Dei probrum non evadant: ſecus enim jurantes nullo Religionis vinculo obſtrictos ſe credent; veluti ſi Judaei per Chriſtum, Chriſtiani per Mahumedem, Athei per Deum jurare obſtringantur. Deinde qui ejuſmodi jurajuranda deferrent, utpote quae in Dei ludibrium vergentia, haud leviter peccarent. Quod ſi vero juſta de cauſſa jusjurandum dumtaxat deferatur ethnico, qui per falſa numina juraturus pravidetur, non peccat qui defert: qui enim juſta ex cau-

cauſa jusjurandum petit, honeſtam rem petit; jurans vero quum poſſet verum Deum, ex improbitate ſua falſos advocat Deos. Jurisjurandi quoque finis obtinetur ab ejus commatis homine qui putata religione obligatum ſe credit. Illicitum porro eſſet jusjurandum ab homine privato delatum ei, qui pejeraturus praevidetur: nam & non obtinetur jurisjurandi finis, & alienae improbitati velificatur.

241. Ut omnis abſit a jurejurando abuſus, verum illud eſſe debet, prudens, juſtumque. Verum erit, ſiquidem jurans ex animi ſui ſententia loquatur. Quare habendi ſunt perjuri, qui quod ſciunt, vel exiſtimant, vel ambigunt eſſe falſum, jurejurando confirmant, tametſi forte res ita ſit, uti dicunt: nam contra animi ſui ſententiam loquuntur. Illi quoque pejerare cenſendi ſunt, quibus non eſt animus adimplendi, vel qui dubitant, num pares ſint adimplendo id, cujus juratam dederunt fidem; nec non ii, qui quum mentali reſervatione utantur, jurare haud verentur: eſt namque mentalis reſervatio (§. 237.) veri nominis falſiloquium; ii demum, qui ſine animo jurandi conceptis verbis jusjurandum proferunt. De jurata aequivocatione litem agitant Caſuiſtae. Sermo ambiguus plures habet ſignificationes, quarum una veritate nititur, ceterae autem ſunt falſae; quare adjectum ei jusjurandum perjurii crimine vacare pro ea parte, qua verus eſt ſermo, cenſent quidam laxiores, cordatioribus tamen, quibus & ego adſentior, contradicentibus. Nam quoniam tota aequivoca loquutio *adaequate* ſumta falſa eſt, atque ad eum finem adhibita, ut qui audit, veram non intelligat ſignificationem; dedecet prorſus Dei veracitatem ejuſmodi loquutionis teſtem vademque fieri, cui

ne honeſtus quidem homo, ingenuae ſinceritatis cuſtos ſuum adjicere vellet calculum.

242. Sed & prudens ſit oportet jusjurandum, ut ne temere juretur, ſed gravis aliqua urgeat ratio; veluti ut boni publici interſit, vel ſi agatur de vita, fama, fortunis, vel ſi judiciorum auctoritate compellamur: nec enim decet Dei majeſtatem, ut ad res leviſſimas confirmandas in teſtimonium advocetur. Sapienter itaque *Epictetus c.* 44. ait, *jusjurandum recuſa, ſi fieri poteſt, omnino; ſin minus, quantum potes*. Praecipiebat ſuis diſcipulis Pythagoras, *ut ad jurandum raro, ac tarde accederent; ubi vero ſemel juraſſent, ut prorſus ſacramenti fidem ſervarent*. Iſocrates Demonico ſuadet, *pecuniae cauſa per nullum Deum jurabis, etiamſi liquido id facere poſſis, ne aliis perjurus, aliis avarus videaris*. Imprudentiſſimo itaque ſacramento ſe obſtringunt ii, qui aliis pollicentur non laturos a ſe repulſam; quemadmodum, fecit Herodes *Matth. XIV.*, dum filiae ſaltatrici jurejurando promiſit, daturum ſe ei quidquid eſſet petitura. Qui enim ſic in anteceſſum promittit, quum neſciat quid aut quale petiturus ſit alter, perjurii periculo ſe exponit, ubi alter impoſſibilia, aut inhoneſta petat.

243. Juſtum denique eſſe debet jusjurandum, ut nempe ſuper honeſtis rebus fides obſtringatur. Nam ſi crimini datur rem turpem polliceri; peſſimo auſu divina auctoritas ad malam promiſſionem firmandam invocatur. Qui ita jurat, multipliciter peccat. 1 quia ad rem inhoneſtam, vel minus honeſtam ſe obſtringit. 2. quia Deum *citat teſtem, & ſequeſtrem, ac ſponſorem* turpitudinis, (horreſco referens). 3. quia ſic jurare pejerare eſt: quod enim dicitur, exequutioni demandari nequit. Quod ſi vero fiat, quod dictum eſt, iterum peccatur, quia res inhoneſta, legibuſque vetita agitur.

tur. Injuſtum quoque dixerim jusjurandum, ubi indifferens prorſus fuerit jurata res, niſi ea ex fine, aliiſve circumſtantiis honeſtatem accipiat; nempe ad Dei obſequium, vel hominis bonum conducat: tanta namque eſt divini teſtimonii excellentia; ut ad res vanas atque otioſas advocari non poſſit, quin debitus ei honos aliquid labis accipiat. Addit Grotius *lib.* II. *de J. B. & P. cap.* 13. §. 7., non valere quoque jusjurandum, ubi res promiſſa illicita quidem non eſt, ſed majus morale bonum impedit; hujuſmodi fuit illud Honorii de pace cum Alarico nunquam facienda. Recte quidem: pugnat namque cum divina perfectione majus bonum vetare, ceu eveniret, ſi quis ad minus bonum juratum religione eſſet obſtrictus.

244. Jusjurandum parit obligationem religionis, qua jurans ad veritatem dicendam, ſervandumque promiſſum obſtringitur (§. 238. 240.); atque haec obligatio priori accedit, eamdemque confirmat, ubi de promiſſorio jurejurando ſermo est. Ut vero ejuſmodi oriatur obligatio, animo deliberato, nempe actione vere humana (§ 63.) juretur, oportet. Quapropter jurisjurandi religione non tenetur, qui jurandi formulas legit, aut recitat, vel eaſdem alios docet, vel verbis alteri praeit, vel ſe jurare haud reputans jurisjurandi verba protulerit. Vana itaque erat Cydippes religio apud Ovidium *epiſt. XXI.*, ubi narrat, Acontium, quum non poſſet in ſui amorem Cydippen pellicere, pomo in ejus ſinum projecto inſcripſiſſe verba *juro me Acontio nupturam:* ea quum legiſſet Cydippe, dubitare coepit, an religione teneretur; ſed poſtea rectius ratiocinatur

Non ego juravi; legi jurantia verba.

Conſequitur inde, vaniſſimam eſſe quaeſtionem, an

an religione obſtringatur, qui deliberato animo, ſerio, nec jocoſe juravit, intentione tamen non jurandi: contradictorium namque eſt, ſponte ſerioque velle jurare, jurandique animum non habere; verba proferre velle, ita tamen, ut eum non obtineant ſenſum, quem communis conventio aſſignavit. Qui ſic juravit, perjurus eſt, ſi jurijurando haud ſatisfacit, quidquid in contrarium dixerint aliqui. Multo minus a perjurio excuſatur, qui deliberato animo juravit, deinde cauſatur, ſe non id intendiſſe, ut obligaretur: jurare enim nec velle jurejurando obligari, duo ſunt inter ſe pugnantia. Deinde fruſtraneum eſſet omne jusjurandum, quia illo fretus jurantis animum neſcit, niſi ex prolatis verbis, nec unquam ſibi perſuadere poſſet ab altero non iri deceptum. Adeatur Puffendorfius *lib. IV. de J. N. & G. cap.* 2. §. *V.* Improba ergo fuit Mediolanenſium reſponſio Friderico I. apud Radevicum *lib. II. cap.* 25. habita: *juravimus quidem, ſed juramentum attendere non promiſimus*. Nec ſcite Euripides, *juravi lingua, mentem injuratam gero*.

245. Nullam parit obligationem jusjurandum errori ſuperſtructum, quo remoto, juratum omnino haud fuiſſet; veluti ſi ferenti laetum nuncium evangelia jurato promiſerim, poſtea vero falſa ipſum nunciaſſe reperiam. Multo magis idem obtinet, ubi per dolum ejus, cui juratur, in errorem is qui jurat, devenerit; veluti ſi quis dolo me induceret ad donandum ſibi aureum annulum, quem inauratum tantum eſſe mihi perſuaſit.

246. De jurata promiſſione per gravem metum injuſte extorta non unum eſt omnium judicium. Grotius *lib.* II. *de J. B. & P. cap.* 13. ex ejusmodi promiſſione obligationem cum Deo quidem, non cum homine oriri cenſet: jurans nam-

que

que duo debet, primum ut verba animo congruant; alterum, ut factum verbis congruat; eamque promiſſionem quamſimpliciſſime, atque cum effectu intelligendam eſſe ait, adeout momentanea ſolutione nequeat eidem ſatisfieri. Puffendorfius *lib. IV. de J. N. & G. cap.* 2. ſentit eum qui per metum injuſtum juratae promiſſioni dedit cauſam, obſtringi ad reſtituendum promiſſum juratum gravi metu extortum non minus, quam ſi ab injurato illud fuiſſet obtentum; quare & compenſationem juſte opponi poſſe credit. Quum enim qui per injuſtum metum alteri quidquam extorſit, id reſtituere obſtringatur, ac tantumdem penſare, quantum promittenti decedit; poterit hic praecedenti veluti compenſatione non ſolvere id, quod reſtitui illico debebat. Heinecii, aliorumque ſententia eſt, nullum ex ea promiſſione jus quaeri illi, qui gravi metu interveniente injuſte ab altero eamdem extorſit, ideoque nulla obligatione promittentem promiſſis teneri: jus namque, & obligatio duo ſunt correlata, ut idcirco ubi jus nullum alteri eſt, nulla in altero naſci poſſit obligatio. Sane quum lex vetet, cuiquam inferri injuriam, nemo poterit per injuſtum metum, nempe per illatam alteri injuriam jus aliquod ſibi quaerere, atque obligationem alteri imponere; quemadmodum quae lex furtum prohibet, inter juſtos adquirendi modos furtum referre nequit. Eſt vero jusjurandum ad promiſſionem acceſſio, eamdemque confirmat: corruente autem principali, *h. e.* promiſſione, acceſſio quoque, nempe jusjurandum corruat, neceſſe eſt. Cenſent demum alii, eum qui juravit, Deo obligari, ut ſtet jurijurando; at in ea ſpecie, in qua timore abductus jurato quidquam promiſit, momentanea ſolutione poſſe defungi, ita nempe ut ei liceat quod ſolvit recuperare.

247. In tanta opinionum diſcrepantia, ſi anceps licebit proferre judicium, primum ajo, rigoroſam nimium eſſe Grotii doctrinam, qua ſtatuit, obligationi non poſſe momentanea ſolutione ſatisfieri. Nam quia injuſta eſt ſolutio reſpectu accipientis, repeti poterit, quod eſt injuſte ſolutum. Neque idcirco ea eſt ſatisfactio per cavillationem, quia deferentis intentioni haud fit ſatis: nam quum ſit cavillatio reſervationis mentalis ſpecies, a nemine vel prudentiſſimo praevideri poteſt; qui vero injuſtum incuſſit metum, ſcit nullum ſibi eſſe jus quaeſitum ad habendum quod fuit ſolutum, ideoque merito poſſe repoſci. At vero non fit ſatis intentioni deferentis juramentum, inquies. Ita quidem; ſed hoc omnino eſt meritus: neque Dei veracitas juſtitiae eſt oppoſita, quae obligare velit eum, qui injuriam, & damnum eſt paſſus, ut detrimentum devorare cogatur, atque alterius improbitas emolumentum aſſequatur. Ajo 2. nullam oriri obligationem in eo, qui ſic pollicitus eſt, quia duo ſunt correlata jus atque obligatio. Ajo 3. ſi qua oritur adverſus Deum obligatio, ei Puffendorfiana compenſatione poſſe ſatisfieri: ſi namque illa obligatio momentanea ſolutione per vim, bellumque penſari poteſt, cur ſine vi ac bello praecedanea compenſatione, quae & ipſa ſolutio eſt brevi manu facta, haud poterit? At qui ſacramento ſe obligavit, verum facere tenetur, quod aſſeruit, inquies. Recte quidem: ſed verum faciet momentanea ſolutione, aut praecedanea compenſatione. 4. videtur, haud ſtare jusjurandum, quod mere eſt acceſſorium, ubi labefactetur promiſſio, quae pro principali habetur; nimiamque ſapit ſubtilitatem quod nonnulli ajunt, ſacramento confirmari promiſſionem, atque aſſertionem, eumque qui juravit, ſemper obſtringi veram facere

aſſer-

aſſertionem, quamvis non teneatur veram facere promiſſionem: nam aſſertio in ipſa pollicitatione conſiſtit, eamdemque conſtituit. 5. videtur ejus jurisjurandi obligatio humanae felicitati adverſari (§. 186.). 6. ſi eo jurejurando non impleto, divinae veracitati fit injuria, jam nulla auctoritate illius obligatio poteſt *relaxari*: quod enim divinis adverſatur attributis, eſt *intrinſecus* malum (*Ontol.* §. 119.); at vero poſſe *relaxari* in confeſſo eſt apud omnes; rectius itaque dicendum a legitimis poteſtatibus meram fieri interpretationem ejusmodi jurajuranda omni prorſus vi eſſe deſtituta. Judicium tamen ad Eccleſiam refero.

248. Nec me quidquam movent Grotii ratiunculae, quibus oſtendere conatur, juratam fidem latroni, aut piratae metum injuſtum afferenti eſſe ſervandam. 1. ait ille, juratam fidem & hoſti debere ſervari. Imo & injuratam quoque inquiam: tunc enim hoſti non tamquam hoſti, ſed tamquam paciſcenti promittimus; multumque latronem inter, atque hoſtem intereſt: hic namque juſtum nobiſcum gerere poteſt bellum, ut proinde & jus ipſi ſit armis nos cogere ad jurandum; latroni non item. 2. quemadmodum latroni depoſitum repoſcenti illico eſt reddendum, ita & jusjurandum eſſe ſervandum. Inepta comparatio: latro ſiquidem depoſitum depoſcens quod ſuum eſt petit, nihilque injuſti depoſcit: non ita ſe res habet in latrone.

249. Cavillationibus jurijurando non fit ſatis: eſt autem ſatisfatio per cavillationem, ſi quis non menti, ſed verbis deferentis ſatisfacit. Sane qui ita ſatisfacere intelligit, inſignis eſt deceptor. Poſt Cannenſem pugnam Annibal decem captivos ad Senatum juratos miſit ſe in caſtra redituros, niſi de redimendis captivis impetraviſſent:

ex

ex iis unus paulo poſtquam egreſſus erat e caſtris, rediit quaſi aliquid eſſet oblitus. Re non impetrata, redierunt novem, decimus Romae remanſit, cauſatus ſe reditu in caſtra jurejurando eſſe liberatum. Nefanda colliditas! Recte itaque decrevit Senatus, ut veterator ille vinctus ad Annibalem duceretur. Quiſque interim videt, cavillationem mentalis reſervationis eſſe ſpeciem. Sane quia praeſtatur jusjurandum in gratiam deferentis, non vero jurantis; conſequitur, ex illius mente eſſe explicandum. Quod ſi vero quis ſibi ipſe ſponte deferat jusjurandum, aut in errore invincibili verſetur, vel dolo fuerit deceptus; procul dubio ex ejus tantum mente & conſilio erit interpretandum. Quapropter ut omne vitetur perjurii periculum, deferentis eſſet jurisjurandi verba planiſſime, quantum fieri poteſt, concipere; ut & ipſe ſignificet, quomodo illa intelligat, & jurans annuat ſe ita quoque ſenſum probe percipere, ut omnis praecludatur cavillationi locus.

250. Qui alterum laeſit, eidem ſatisfacere tenetur, quodque ei intulit, damnum reſarcire: nam quamdiu id non facit, laedere pergit. Non enim magis infeliciores nos reddit, qui damni aliquid nobis intulit, quam qui illatum damnum non reſarcit. Animadvertit Puffendorfius *lib. 1. cap. 6. de off. hom. & Civ.* damni nomine venire non modo rem noſtram, aut nobis debitam, quae perditur, intercipitur, vel fit deterior; ſed & fructus ex ipſa provenientes, ſive jam ſint percepti, ſive adhuc ſperentur, ſi modo eos dominus fuerat percepturus, deductis tamen impenſis ad eorumdem perceptionem neceſſariis. Deinde pro uno damno haberi ait quidquid ex aliqua laeſione veluti naturali neceſſitate deinceps profluxit: *e. g.* qui alterum vulneravit, non modo

modo expenſas in curatione occurrentes ſolvere tenetur, ſed & detrimentum reſarcire, quod interea temporis ex neglectis operis aut negotiis vulneratus ſentit; injuſtus homicida quae in familiam redundarunt damna reficere tenetur; & alimenta praebere iis, quos occiſus ex perfecto officio alebat, veluti parentes, uxorem, liberos, ratione habita facultatum occiſi, aetatis, aliarumve circumſtantiarum prudenti aeſtimatione; mutilator ad omne damnum, cui occaſionem dedit, atque ad aeſtimationem ejus, quod lucrari potuiſſet is, qui mutilatus eſt; ſtuprator aut dotare mulierem cogitur, aut ducere; adulter indemnem praeſtare debet maritum ab alenda prole, quae certo ſcitur eſſe adulterina, necnon reliquis liberis reſarcire damnum, quod forte patiuntur ob concurſum adulterinae prolis ad hereditatem: ceterum hoc judicium de prole certo adulterina valde difficile eſſe ajo; atque in dubio, num ex marito ſuſcepta ea ſit, an ex adultero; non tenetur hic eamdem alere, pro qua ſtat praeſumtio, eam eſſe legitimam.

251. Rurſus quia damnum inferri poteſt tum aliquid faciendo quod fieri non debebat, tum non faciendo quod fieri debebat; hinc qui citra propoſitum per negligentiam, quam facile erat declinare, damnum intulerunt, ad reparationem tenentur. Ita putanti arborem juxta viam publicam, ſi dejecto ramo tranſeuntem occiderit, imputabitur caedes, quam proclamando evitare potuiſſet (§. 94.). Pariter qui jure perfecto damnum ab alio inferendum prohibere poteſt, ac debet, idque non facit, damni cauſſa habetur, atque ad reſarciendum tenetur: hujuſmodi eſſet, qui ſciens damnum a filio inferendum, illudque prohibere potens, interim non prohibuit. Ut vero damnum ita ſequutum imputetur alicui ex cul-

culpa, tria haec concurrere debent. I. ut aliquis ſit nexus inter id, quod factum eſt, vel omiſſum, atque damnum, cui occaſio data eſſe dicitur. II. ut innotuerit ille nexus, ac praevideri effectus veroſimiliter potuerit. III. ut aliqua fuerit obligatio id non faciendi, quod illi effectui producendo occaſionem praebuit. Quod ſi vero caſu fortuito inferatur damnum, qui intulit, reſarcire non obſtringitur (§. 94. & 209.).

252. Damni reparatio duo exigit. 1. ut ſi res in priſtinum ſtatum reſtitui queat, reſtituatur; necnon ut omne ceſſans lucrum, vel emergens damnum reficiatur, quamdiu laeſus re ſua carere debuit. 2. ſi in priorem ſtatum redire nequeat, quoad fieri poteſt, laeſus praeſtetur indemnis: id vero exemplis homicidii, vulnerationis, mutilationis (§. 250.) illuſtravimus.

253. Quod ſi plures ad unum actum, unde proficiſcitur damnum, concurrant; cauſa principalis ad reſtitutionem primo tenetur, alia cauſa nonniſi in ſubſidium: *e. g.* ſi pater juſſerit hominem occidi, filius paruerit (§. 93.). Ubi plures per conſpirationem damnum dederint, in ſolidum tenentur: uno vero ſolvente, reliqui liberantur, quia laeſo nihil aliud debetur. Si plures citra conſpirationem damnum dederint, dividuumque eſt factum, quiſque damnum a ſe datum penſabit; ſin vero individuum, ſinguli tenentur in ſolidum, ita tamen ut uno ſolvente, ceteri liberentur: ſi plures *e. g.* hominem iiſdem armis vulneraverint, diſcerni nequit quae ſinguli intulerint vulnera, quare factum pro individuo habetur; ſi diverſis armis, dividuum habebitur factum. Plura apud Puffendorſium lib. 1. de off. hom. & Civ. cap. 6., & Grotium lib. II. de I. B. & P. cap. 17.

254. Clariſſimus Thomaſius ſingulari Diſſertatione

tione *Larva Legis Aquiliae &c.* totus in eo eſt, ut ſtatuat, reficiendum eſſe omne damnum ab eo illatum, qui damnum effecit, utut omnis culpae neſcius. Dat exempla furioſi, atque pueri, qui, ſi dederint damnum, ipſo judice, reficere tenentur, quamvis omni vacent culpa. Id repetit ille ex ipſius damni natura, quod ſi penſari poteſt, nullus dubitat, quin ſit penſandum ex bonis, ſi quae ſunt, eorum unde profectum eſt damnum. Sane licet furioſum vitae noſtrae invaſorem interficere (§. 188.); eccur itaque non licebit ex ejusdem bonis damnum, ſi quod inſcius fecerit, reſarcire? Verum tanti viri pace dixerim, ejus dogma humanae tranquillitati nimis eſſe inimicum, ſi damni reparatio praeſcribatur etiam in ea ſpecie, ubi nulla fuerit culpa; ut qui *e. g.* ex aedibus fortuito ceciderit, hominemque vulneraverit, omne damnum ex vulnere penſare obſtringatur, & maxime afflicto maxima ſine ulla ſui culpa adjiciatur afflictio. At damni natura ea uſque eſt, ut refici debeat, ſi poterit, etiamſi abſque ulla alterius culpa obvenerit, ait ille. Id prorſus in quaeſtionem venit; imo & contrarium facile oſtendi poteſt. Damni reparandi obligatio nova prorſus obligatio eſt, neque rebus imponi poteſt, quin prius perſonae ſit impoſita: atvero qui rationis uſu deſtituitur, omni prorſus obligationi ſuſcipiendae eſt ineptus (§. 34., 58., 63.); pueri itaque ac furioſi ad nullam damni reparationem ſunt obſtricti. Idem eſto judicium de fortuito quovis caſu, qui quum praevideri, vel eidem reſiſti haud potuerit, in cenſum humanarum actionum venire nequit (§. 58.). Neque ad rem facit exemplum furioſi vitam noſtram innocenter invadentis, cui tamen violenta caede reſiſtere poſſumus: nam reſiſtendi jus a vitae noſtrae tuen-

dae

dae jure unice proficiſcitur (§. 188.), neque ulla tunc imponitur invaſori nova obligatio: ſecus ſe res habet in innocenti damno, cujus reparandi obligatio pravum inferentis conſilium ſupponit. Idem eſto judicium de noxalibus actionibus, *ſi quadrupes pauperiem feciſſe dicatur*, vel *ſi ſervus meus ſuo maleficio damnum dedit*, quas meri civilis juris eſſe ſtatuit Grotius de I. B. & P. lib. II. cap. 17. §. 21., quamvis Puffendorfius, aliique a jure naturali derivent. Sane ex tali facto non obligatur dominus naturae Lege damnum reſarcire 1. quia unuſquiſque ex ſuo tantum facto obligatur, non ex alieno; neque pecudis, aut ſervi domino quidquam imputari poteſt, quum licita res ſit ſervum, ac pecudem habere; neque ipſae Rom. leges injurium faciunt dominum, quum ſit pauperies *damnum ſine injuria datum*. 2. quia Rom. ipſae Leges dominum ad damni reſtitutionem non obſtringunt, ſed ſaltem ad noxae deditionem; obſtringeretur autem, ſi naturali jure ex facto ſervi, aut pecudis obligaretur.

255. Maximum bonum eſt fama tum ſimplex, tum intenſiva (§. 200.), quam integram quiſque ſibi conſtare vult, atque a laeſione jure tuetur; proinde ſi ea proſcinditur, juſtitia violatur. Qui ergo calumniis alterius famae inuſſerit maculam, ſtatim ad reparationem, quamvis non ſine proprii nominis jactura faciendam, tenetur; id vero ſit culpae confeſſione, atque innocentiae teſtimonio. Quid vero ſi cum vitae periculo fama ſit reſtituenda? Quoniam vita pari paſſu cum fama non ambulat (§. 194.), non videtur cum vitae diſcrimine redimenda; niſi forte atrociſſima ſit infamia, ipſaque morte durior, vel innocentis calumniam paſſi mors aliudve malum morti aequivalens ſequatur: tunc enim

quia

quia lex naturae omnino reparationem exigit, ſuae malitiae tribuere debet calumniator eam neceſſitatem, quam jumento ſuo domum invexit. Qui vero delicta alterius occulta detexit, non modo adverſus mutuum amorem, ſed & adverſus juſtitiam peccavit: jus enim famae ſervandae tamdiu quiſque obtinet, quamdiu facto ſuo non amiſerit; quare qui evulgavit, injuſtus eſſe non deſinit, atque ad reparandam famam, qua meliori fieri poteſt ratione, omnino obligatur. Si maledictis, contumeliis, irriſu laedatur honos aliis debitus, honoris exhibitione reſarcietur.

CAP. VII.

De officiis erga alios hypotheticis perfectis Definitiones.

I.

256. DOminium eſt jus rem corporalem ſibi ita habendi, ut ea ſoli utamur, nec quiſquam ea ſine conſenſu noſtro uti poſſit: ipſius rei detentio nominatur *poſſeſſio*.

SCHOLION.

257. Quatuor diſtingui ſolent dominii partes, 1. jus utendi fruendi re noſtra, imo & eadem abutendi. 2. jus de eadem utilibet diſponendi. 3. jus eamdem a quovis alio vindicandi. 4. jus eamdem pacifice poſſidendi. Sane qui rei alicujus eſt dominus ita illam facit ſuam, ut alterius eodem modo eſſe nequeat: id vero ſine recenſi-

tis

tis quatuor illis intelligi minime poteſt; & tunc dominium *plenum* nominatur. Quoniam vero ita diſpeſci poſſunt quatuor illae partes, ut earum aliquae uni perſonae, aliae alii conveniant; oritur dimidiatum illud dominium, quod *ſemiplenum* appellari conſuevit. Sic conſtituto uſufructu, *facultas omnem utilitatem ex re percipiendi* (*quod utile dominium dicitur*) eſt penes unam perſonam, cui idcirco *utilis domini* convenit nomen; reliquae dominii partes (quod *directum dominium* dicitur) alterius ſunt perſonae, cui *directi domini* tribuitur nomen.

II.

258. *Res nullius* dicuntur, quarum nullus eſt dominus.

SCHOLION.

259. Id vero contingit vel quia nullus unquam fuit earum dominus; vel quia hic pro derelictis habere voluit; vel quia de eodem nulla ratione conſtare poteſt.

III.

260. *Communio poſitiva* eſt ille ſtatus, quo multi ſimul rem nullius communi nomine ſuam faciunt, ut nullius jam eſſe deſinat.

SCHOLION.

261. Res poſitive communis in multorum venit dominium, fitque communio *aequalis*, quando aequale omnibus jus in re illa communi competit; *inaequalis* vero, quum alter altero plus mi-

minuſve juris in illa habet. Penes multitudinem eſt jus quemlibet alium ab ejus rei uſu excludendi.

IV.

262. *Communio negativa* eſt ille ſtatus, quo res in nullius ſunt dominio. Hanc communionem *univerſalem*, ac *primaevam* nominat Genuenſis noſter lib. 1. de offic. cap. 12.

SCHOLION.

263. In communione poſitiva res ſunt multitudinis, in negativa ſunt nullius, ut idcirco iſtarum uſus omnibus pateat, illarum vero uſus ſolius ſit multitudinis.

V.

264. *Proprietas* eſt ille ſtatus, quo res unius eſt domini, qui alios omnes ab ejus rei uſu excludendi jus habet.

VI.

265. *Occupatio* eſt adprehenſio poſſeſſionis rerum nullius, quas noſtras fieri volumus.

SCHOLION.

266. Occupationem a tota multitudine factam *per univerſitatem* fieri ait Grotius, factam vero a ſingulis per *fundos*, Heineccius autem per *ſingulos* rectius fieri dicit.

VII.

267. *Titulus* eſt ratio ad transferendum dominium apta ; dicitur *oneroſus* , ſi ad aliquam praeſtationem obligat ; *lucrativus*, ſi ad nullam.

VIII.

268. *Evictio* eſt legitima probatio , rem aliquam ſuam eſſe , quae ab alio poſſidetur.

IX.

269. *Evictionem praeſtare* eſt reparare damnum obveniens poſſeſſori , ſi alius rem jure , & ſine culpa poſſeſſoris evicit.

X.

270, *Specificatio* eſt inductio novae formae alicui materiae facta.

XI.

271. *Res fungibilis* dicitur, quae ejus eſt naturae , ut vice alterius ita fungi poſſit , ut tantumdem aequivaleat eidem.

272. Dominiorum originem modo perſcrutemur. Atque illud inprimis conſtat, providentiſſimum Deum jus quoddam hominibus utendi fruendi rebus, quas tellus habet, quaeque noſtrae conducunt conſervationi, conceſſiſſe. Quum enim ea ſit hominum conditio, ut ſeſe conſervare, ac bene eſſe nequeant, quin rebus externis utantur; praepotens illa Mundi cauſſa, quae homines eſſe ac bene eſſe voluit, jus facere quoque omnibus debuit iisdem rebus utendi. Negato quippe hoc

jure,

jure, rebus illis inique uterentur homines; ac voluntatum pugna eſſet in Deo, quippe qui vellet homines ſimul eſſe ac non eſſe. Naturae itaque noſtrae indigentia, Deique benignitas ac providentia de illo hominum jure dubitare non ſinunt. Nemini proinde licuit alios ab eo rerum uſu excludere (§. 37.), ne iſtorum jus ſimul, ac non jus eſſe ſtatuamus (§. 32.); ideoque ſub rerum initium omnia in medio omnibus erant expoſita, omnium uſibus patentia nimirum in communione univerſali (§. 262.), veluti unum cunctis patrimonium eſſet. Primi mortalium contenti vivere parvo, atque in magna rerum ubertate, quas natura largiebatur, nonniſi fructus carpere, propriiſque uſibus addicere curabant; taliſque uſus vice proprietatis fungebatur: nam quod quiſque ſic arripuerat, id ei eripi nonniſi per injuriam poterat.

273. Naſcuntur vero homines iisdem obnoxii indigentiis, iisdemque juribus inſtructi; ut idcirco quod primis mortalium licuit, idem & ſupervenientibus aliis ſummo jure licere debuerit, nec primi illi a rerum uſu alios iſtos excludere potuerint; neque iſti ullo conſenſu illorum opus habuerint, ut quae ſibi eſſent neceſſaria caperent ex communi patrimonio, quod communis parens in medio poſitum eſſe voluit: nam ſi hic expectandus fuiſſet aliorum cenſenſus, prius cuique fuiſſet pereundum, donec obtineretur. Finge Patremfamilias pluribus ſuis familiaribus menſam apponere, de qua quiſque ſumat quantum opus habet: aſſidentium nemo aliorum conſenſum expectabit, ſed quiſque jure ſibi facto a menſae domino ſuam ſibi arripit partem, neminique facit injuriam, & a nemine poteſt prohiberi. Etiamnum quos piſces in communi mari capio, ſiquidem cepi, mei ſunt, pro meis habeo, nec ſuam ſibi par-

tem quiſquam poſcit, quia in re communi capti ſunt; neque egomet aliorum poſtulabo conſenſionem, ut piſces mihi capiam; neque poſtquam cepero, quiſquam dicere poteſt, non eſſe meos, nec manu afferet. Non recte igitur Puffendorfius lib. IV. de I. N. & G. conventione aliqua opus fuiſſe cenſet, ut occupationi daretur locus, qua alii poſſent excludi.

274. Donec intra paucos ſtetit humanum genus, liberiuſque tellus nullo poſcente omnia ferebat, de communi hoc patrimonio ſumebant ſinguli; neque cuiquam in mentem veniebat ſuum ſignare campum, vel limite partiri, ſed unuſquiſque ſuum faciebat, quod ſuis manibus, ſuoque labore adprehendebat. At poſtquam auctum eſt genus humanum, ac per orbem late diffuſum, in innumeraſque familias diſtractum, fieri quoque debuit, ut quaedam res non ſufficerent omnibus, quaedam vero ob inſignem copiam ſufficerent: hinc & primae illae in dominium venire coeperunt; aliae vero, quae inexhauſti eſſent uſus, in medio omnibus communes relinquebantur. Principio ſegreges familiae quoſdam terrae tractus occuparunt, necnon bruta animantia, quae vitae commode ſuaviterque trahendae conducere intelligebant; atque ita a communione negativa diſceſſum, poſitivaque communio inter familiarum perſonas fuit conſtituta. Hinc antiquiſſimas artes agriculturam & paſtoritiam fuiſſe invenies, ex quibus verae hominum divitiae derivantur; & quamdiu in primaeva ſimplicitate perſtiterunt primi mortalium, paſtores fuerunt, & agricolae, parabili utebantur cibo, animalium pellibus ſua tegebant corpora, tectumque iis ſuppeditabant antra, aut tentoria. Ex familiis natae ſunt gentes, a quibus inſigniores terrae tractus fuerunt occupati; mox urgente neceſ-

neceſſitate, a poſitiva etiam communione (quae nonniſi inter homines grandi virtute praeditos conſiſtere poteſt), fuit diſcedendum; & quas pro indiviſo ſingulae familiae ſibi vindicaverant regiones, in ſingulos dividere oportuit, vel ex pacto facta eſt ſingulis poteſtas, quantum indigerent, occupandi, hincque orta eſt proprietas (*).

275. Hujusmodi occupationem terrae jugerum per univerſitatem, vel per fundos neque fini Creatoris adverſari, qui terram ipſam in noſtra commoda condidit, neque injurioſum eſſe adverſus alios inſtitutum, ex iis, quae §. 273. diſputavimus, abunde liquet; dummodo tamen juxta rationis decreta fiat occupatio, & ab intentione communis omnium parentis non abſcedatur. Accedit, quod excreſcente in immenſum humana gente, colenda fuit tellus, atque cogenda, ut avidis pareret colonis; quum amplius non ſufficerent quae ſponte ſua ipſa ferebat. Nemo autem in fundo non ſuo curabit arida ſola

(*) Quis enim ſociorum ſocio non invidet, qui pro ſui indigentia plus ceteris è communi fundo ſumit? quis non impedit alterum in rem communem aliquid facturum, vel ex eadem aliquid capturum ad ſui voluptatem, aut aliis benefaciendum? Quis reliquis lucri partem non intervertere ſtudet? Quis rem communem aeque ac propriam curat? Inde mille diſcordiarum, ac jurgiorum origines. Porro Scymnus Chius communem rerum uſum tribuit Scythis Nomadibus, ſed eoſdem ſimul vocat *piiſſimam gentem*. Stetit eadem communio in Eccleſia Hieroſolymitana, at tamen ſanctiſſima Act. IV. Quam ſeculo aureo communionem retulerunt Poetae, nonniſi inter homines virtutis ſtudioſiſſimos ſtare finxerunt, qui, ut ait Ovidius Metamorph. 1. v. 90.

vindice nullo,
Sponia ſua, ſine lege, ſidem rectumque colebant.

ſimo pingui ſaturare, neque per effoetos agros immundum jactare cinerem, neque raſtris inertes glebas frangere, nec frequens humum exercere, neque ad gelu algere, ad aeſtumque ſudare, neque improbo labore omnia vincere; urgens igitur egeſtas meum, tuumque invexit, invectumque ſarcta tecta cuſtodiri jubet. Naturalis autem indigentia, ac neceſſitas humi colendae evincunt, dominium ſtabile eſſe a Natura, jure quidem non praeceptivo, attamen permiſſivo, ita ut nemini liceat alium ab eodem jure deturbare (§. 37.). Nam quia telluris bona vitae traducendae ſunt omnino neceſſaria; tamdiu jus iis utendi poſſidendique perdurabit, quamdiu ſibi, ſuiſque ſunt neceſſaria, nempe integro vitae ſuae, ſuorumque curriculo.

270. Ne vero aliorum hominum jura laedantur, tantum bonorum mobilium immobiliumque adquirere permittit jus naturae; quantum indigentiae ratio requirit (272., 273., 275.), nempe ut aequentur neceſſitatibus perſonae, familiae, adverſae caſuum fortunae, ordini quem civitas attribuit; ſi vero plus fuerit adquiſitum, ſupervenientibus aliis indigentibus reſtituendum; qui id non fecerit, fur ac raptor habeatur, quippe qui alios a neceſſariis vitae inſtrumentis arcet. Civiles quidem Leges ad innumera praecidenda mala, praeſertim ne inteſtinis litibus lacerętur Reſp., indulgent, ut quiſque adquiſita bona ſibi habeat; verum nequidquam naturali derogant Legi, qua jubemur ſuperflua noſtra indigis tribuere (*). Liquet interim quam ſit iniquum

(*) *Divitibus hujus ſeculi* PRAECIPE *facile tribuere, communicare*. I. ad Timot. 6. Et B. Thomas 2. 2. Quaeſt. LXVI. art. 2. docet, quoad uſum externarum rerum homi-

um Hobbeſii dogma, tribui ſcilicet ſingulis hominibus a Natura jus in omnia, ideoque poſſe ſingulos jure ſuo tantum occupare, quantum queant viribus. Statutam adquiſitionis legem perrupit voluptas ac luxus, deinde avaritia, demum *generoſum* ambitionis vitium, uti ait Grotius; verum non ſunt iſtae legitimae adquirendi rationes a Lege mundana aſſertae, ac probatae (*).

277. Hinc vero fit, ut in extrema neceſſitate reviviſcat quodammodo poſitiva communio: ſecus alii perire cogerentur. Quare in navi, deficientibus cibis, ſinguli quod habent in commune referre tenentur, ſi modo tanta ſit ciborum copia, ut probabiliter ſuffectura ſit omnibus, donec in portum deveniatur. Diſcindit nauta alienae navis funes, in quas ſua navis impulſa eſt, ſi aliter explicari nequit. Alieno equo manus injiciam fuga meae vitae conſulturus, ubi in diſcrimen vita adducta eſt. Surripiam aliquid alii, qui mihi negat neceſſaria, ne peream; neque ullum admittam furtum, quia rei communi manum admoveo; neque injuriam facio, quia jure meo utor; neque damnum infero, quia de re communi ſumo; nec proinde reſtitutioni ſum obnoxius, poſt elapſam neceſſitatem, ubi ſurre-

minem *non debere habere ut proprias, ſed ut communes; ut ſcilicet de facili eas communicet in neceſſitate aliorum.* Praeiverat D. Thomae Ariſtoteles lib. II. Polit cap. 5. *melius eſt; propria quidem eſſe bona, uſu vero facere, ut ſint communia.*

(*) Plato in ſua Rep. ſancivit, agrum ex aequo inter familias partiri, quod & fecit Lycurgus in ſua Sparta; vexat tamen Ariſtoteles ut ſupervacaneum; nam ea aequalitas nonniſi modico tempore valitura eſt, niſi ſi nunquam familiae multiplicentur, ac paria ſint ſemper omnia hominum ingenia.

pta res periit, vel conſumta eſt; ſecus vero, ſi integra ſit res, veluti equus, quem fugiturus arripui (*). Verum qui ita ſurripit, non plus ſibi ſumat, quam opus eſt; neque ei eripiat, qui & ipſe indigeat. Non ſum neſcius, Grotio, Puffendorfio, Heineccio, aliiſque juris naturae peritis fuiſſe perſuaſum, elapſa illa neceſſitate, oriri reſtitutionis obligationem in eo, qui aliquid ſibi ſumſit: at ſcio etiam, id gratis afferi, ac plerumque ipſis eorum repugnantibus principiis, praecipue ubi ſurreptae res exigui ſint momenti. Illud autem verum eſſe cenſeo, ſi accidentaria, relativa, ac momentanea ſit ſumma illa neceſſitas, poſtquam fuerit elapſa, reſtitutionis obligationem exiſtere; veluti ſi dives homo ſuae vitae fuga consulturus alienum ſurripiat equum, qui inter currendum prae nimia rapiditate crepuit: tunc quippe non debet equi domi-

nus

(*) Auream D. Thomae doctrinam 2. 2. Quaeſt. LXVI. art. 7. hic éxſcribere placuit. *Ea, quae ſunt juris humani, non poſſunt derogare juri naturali, vel divino. Secundum autem naturalem ordinem ex divina providentia inſtitutum, res inferiores ſunt ordinatae ad hoc, quod ex his ſubveniatur hominum neceſſitati. Et ideo per rerum diviſionem, & appropriationem ex jure humano procedentem non impeditur quin hominis neceſſitati ſit ſubveniendum ex hujuſmodi rebus. Et ideo res, quas aliqui ſuperabundanter habent, ex* JURE NATURALI *debentur pauperum ſuſtentationi.... Si adeo ſit evidens, & urgens neceſſitas, ut manifeſtum ſit inſtanti neceſſitati eſſe ſubveniendum (puta quum imminet perſonae periculum, & aliter ſubveniri non poteſt) tunc licite poteſt aliquis ex rebus alienis ſuae neceſſitati ſubvenire, ſive manifeſte ſublatis; nec hoc habet rationem furti, vel rapinae.... quia per talem neceſſitatem* EFFICITUR SUUM *id, quod quis accipit ad ſuſtentandam propriam vitam.... In caſu ſimilis neceſſitatis poteſt quis occulte rem alienam accipere, ut ſubveniat proximo ſic indigenti.*

nus damnum devorare in gratiam fugientis, qui tamquam commodatarius, aut conductor eſt habendus cum praeſumto domini conſenſu; praeſertim vero ſi hic pauperem vitam traducat. Sane ſi fugiturus homo equum facile conducere potuiſſet, alieno equo parcere quoque debuiſſet; quidni alienum equum reſtituere?

278. Quibusnam in rebus dominio ſit locus, liquet ex ſuperioribus (§. 274.); in iis nempe, quae exhauriri poſſunt, nequaquam vero in iis, quae ſunt uſus inexhauſti, qualis eſt äer, lux, aqua profluens, licet ſint res adprime neceſſariae, ac pretioſae. Deinde in iis, quae ad noſtram faciunt conſervationem, commoditatem, voluptatem, quum nemo in dominio habere cupiat res, quae nulli ſunt uſui, veluti mures, araneas, muſcas. Demum ejus debent eſſe indolis, ut adprehendi poſſint, & cuſtodiri. Hinc definiri poteſt quaeſtio de maris dominio, vel potius imperio, de quo tanto animorum motu diſceptatum eſt inter doctiſſimos viros, qui tamen partium ſtudio abrepti, & in gratiam ſuae gentis ſcripſiſſe videntur. De immenſo Oceano lis nulla eſſe poteſt, quoad partes a littoribus remotiſſimas: eſt quippe ille omnium uſibus ſufficientiſſimus, ejuſque cuſtodia uni alicui populo impoſſibilis; quare illius dominium praetendere ſupervacaneum eſt, & innumeris litigiis materiam praeberet. Si vero de mari particulari ſermo ſit, & alicui provinciae proximo, quin illud occupari poſſit, occupantique cedat, nulla videtur eſſe quaeſtio, maxime quum & id olim eſſe factum, & hodie fieri videamus. At quum in ipſo hoc mari quaedam ſint exhauſti uſus, e. g. captura pretioſorum piſcium, unionum piſcatura, commercia, vectigalia; quaedam vero inexhauſti uſus, veluti navigatio, aqua: illis alios

alios excludi poſſe, his non poſſe dicendum eſt. Multo magis iis, qui certas terras poſſident, licebit alios excludere a navigatione, quam commerciorum, aut occupationis cauſa eo ſuſcipiunt. At non ſine injuria excluderentur, qui ad provincias transmarinas non noſtras per mare noſtrum proficiſcerentur; non ſecus ac ſi quis uſu viae publicae prohiberetur. Verum quomodo occupatur, ac cuſtoditur mare fluidum, nec terminis praefinitum, inquies? Nempe claſſibus; nec maris nomine aquas intelligimus, ſed mare ipſum, & quae in eo ſunt; eſtque hoc ſuis terminis, littoribus nempe, praefinitum. At claſſibus domum reverſis, ſtatim ceſſabit poſſeſſio, ajes. Dominium ſemel adquiſitum retinetur animo aliquibus ſignis manifeſtato. Ita olim Romani, qui mediterraneum mare, qua Europam, Africam, & Aſiam alluit, imperio ſuo complexi ſunt, per quatuor claſſes perpetuas illud cuſtodire oſtenderunt, quarum prima ad Miſenum ſita erat, altera ad Ravennam, tertia ad forum Julium, quarta ad Byſantium. Effectus autem hujus dominii ſunt 1. prohibere juſtis de cauſis navigantes, piſcantes, uniones colligentes certis in locis. 2. leges maritimas, & nauticas dare. 3. piratas perſequi, ab iiſque ſupplicium ſumere. 4. vectigalia a praeternavigantibus colligere. Venetiis ſignum hujus dominii eſt deſponſatio cum mari habita die Dominicae Aſcenſionis.

279. De animalium uſu, qui abuſui eſt conjunctus, a nonnullis fuit dubitatum. Nam licet de imperio hominis in animantia bruta ambigi nequeat; inde tamen non conſequitur, licitum quoque eſſe eadem inſigni cum dolore interficere: non ſecus ac hominem in noſtro dominio conſtitutum interimere haud licet. Deinde ferales ejuſmodi epulae non ſunt ſuſtentandae vitae neceſ-

ceſſariæ: id videre eſt in pueris, quorum natura non eſt voluptatibus emollita, ac corrupta, qui poma, ceraſa, caſtaneas, nuces, carnibus vel delicatiſſimis praeferre ſolent; necnon in quibusdam populis, qui ab omni eſu carnium abſtinent, rogatique ut vel parum guſtent, ſe canes non eſſe ſtatim reſpondent. Obſervatum quoque eſt, animalibus carnivoris dentes anteriores oblongos eſſe, & a ſe mutuo ſejunctos, quo carnes facile diſcerpant: homini contra dentes eſſe breves, junctos, inſtar eorum animalium, qui herbis, fructibuſque veſcuntur. Accedit, quod carnium eſus nimiam ſpiritibus irritationem inducendo peſſimorum malorum ſunt irritamenta, noſtramque naturam ferocem efficiunt. Praeterea animantia multa inſignes nobis afferunt utilitates, veluti lac, lanam, ova; boveſque aratores agriculturae mirifice inſerviunt. Quare & Valentis Imperat. Conſtitutione cautum erat, ne quis vitulorum carnibus veſceretur, utilitati agriculturae providens, uti ſcribit Hieronymus lib. II. adverſus Jovinianum; eademque Lex viguit apud Atticos, Peloponneſios, Cyprioſque. Demum brutis inferri videtur injuria, dum cum dolore jugulantur, & immodica videtur eſſe jugulantium crudelitas; ac quamvis daretur, nullam brutis fieri injuriam, ſuſpicari tamen liceret, injuriam fieri eorum Creatori, dum ejus injuſſu brutis abutimur.

280. Ego quidem ingenue fateor, expoſita argumenta ejuſmodi eſſe, quae aliquem nobis ſcrupulum merito poſſent injicere, ſi ſola conſulta ratione, de expreſſa Creatoris licentia minime conſtaret Geneſ. cap. IX. v. 3.; verum tanti ponderis non eſſe reor, quantum aliqui credunt. Sane nullam nobis cum brutis eſſe juris communionem, omni vacat dubio (§. 7.); niſi Py-

Pythagorica deliria adoptemus (Pſychol. §. 82.); quare & nulla iis inferri poteſt injuria. Quoniam vero ejuſmodi brutorum hominumque conditionem eſſe voluit Deus, ut nulla intercederet juris communio; argumento eſt, permiſiſſe quoque nobis, ut brutis arbitrio noſtro uteremur, imo & abuteremur. Quod autem brutorum vita tanto cum dolore amittatur, certum omnino non eſt; ac ſi certum eſſet, haec prorſus foret eorum conditio. Nec ideo abſtinendum eſt a rebus, quia iis carere poſſumus: voluit namque Deus, nos non modo eſſe, ſed & ſuaviter quoque vivere; moderatuſque carnium uſus homini eſt ſaluberrimus, ut experientia docuit: animales ſiquidem moleculae partes noſtri corporis animales alunt. Quod ergo de carnis inſalubritate dici ſolet, non a juſto ejus uſu, ſed ab ingluvie proficiſcitur. Quod de pueris dicitur, id quidem verum eſt; atqui hoc idcirco fit, quia cibi laxiores eorum conditioni magis ſunt attemperati. Paucorum populorum, eorumque incultiorum uſus a carnibus abſtinendi aliorum ſatis multorum, eorumque cultiſſimorum uſu revincitur. Quod ſi dentes noſtri anteriores breves ſunt conjunctique, non vero oblongi ac ſejuncti; inde unice conſequitur, non eſſe eos deſtinatos, ut profunda eorumdem inflictione vivorum animalium carnes diſcerpantur, uti in carnivoris beſtiis contingit.

281. Legitimos adquirendi dominii modos ad duo ſumma genera confert Grotius, *originarios*, nempe, ac *derivativos*. Vel enim res eſt in communione negativa; & tum locum habent modi adquirendi originarii, *occupatio*, & *acceſſio:* vel res eſt in communione poſitiva, & tum locum habent duo adquirendi modi derivativi, *diviſio*, ac *ceſſio*; vel demum eſt in alicujus proprietate, & tum

& tum locum habet alius unicus adquirendi modus, ſcilicet *traditio*.

262. Occupationis ſpecies ſunt *venatio*, *piſcatio*, *aucupium* ferarum, ſcilicet animalium äere, terra, marique libere vagantium: nam quia nullius ſunt, occupanti cedere debent (§. 272., & 273.). Fieri autem debet occupatio mente ſimul, & corpore. Eſt namque occupatio humana actio, ad quam intellectus ſimul, ac voluntas concurrat, neceſſe eſt (§. 58.). Rurſus quia ſola occupandi voluntas non eſt occupatio, idcirco adprehenſio quoque corporalis interveniat, oportet. Quare ſi quis prior viderit in littore concretionem a mari ejectam, ad eamque arripiendam cucurrerit, alius autem qui poſterius vidit, prius adprehenderit; non ille, ſed iſte evadit concretionis dominus. Quae vero ſemel occupata ſunt, ſolo animo retinentur; nec niſi nobis volentibus a noſtro dominio ſubduci poſſunt. Praedictae igitur occupationis ſpecies locum non habent in animalibus manſuefactis, imo nec in feris, quae noſtris vivariis, piſcinis, alveariis, cuſtodiis includuntur, quippe quae non ſunt dominio vacua. Quod ſi ferae jam occupatae in priſtinam libertatem ſeſe reſtituerint, itaut illas dominus amplius habere nequeat; tum nullius iterum evadent, cedentque occupanti, licet in fundo alieno captae fuerint, quia non ſunt fundi partes; neque dominus fundi alia de injuria conqueri poteſt, niſi quod ſe inviſo in ſuam poſſeſſionem ſit immigratum. Ceterum fera tum vere capta dicetur, quum vel viva laqueis, canibus, retibus, aliiſque inſtrumentis venatoriis ita fuerit detenta, ut in naturalem libertatem evadere nequeat. Quod ſi fera vulnerata ſolum fuerit, diſtinguit Puffendorfius lib. IV. de J. N. & G. cap. 6. §. 10., lethaliterne vul-

vulnerata fuerit, vel inſigniter debilitata, an ſecus: ſi primum, non poſſe eam ab alio intercipi ait, quamdiu venator eamdem perſequitur; ſi alterum, poſſe ab alio occupari.

283. Occupatione quoque adquiritur dominium aliarum rerum mobilium, aut immobilium, quae dominum nunquam habuerunt, veluti metallorum, lapidum, gemmarum; necnon rerum a dominis derelictarum, veluti rerum miſſilium; quibus adjungi debent res, de cujus domino conſtare nequit, qualis eſt theſaurus etiam in alieno fundo inventus: quum enim earum dominus ſciri non poſſit, morali aeſtimatione habendae ſunt, ac ſi nullum dominum habeant. Pro derelictis haberi non debent amiſſae res, furtim vel vi ſurreptae, imminente naufragio aut incendio projectae, per bruta ablatae: illae quippe omnes non ſunt dominio vacuae, & poſſunt a domino recuperari, qui easdem habendi animum non dimiſit. Quod ſi amiſſarum rerum nullus appareat dominus, ut ἀδέσποτα cenſentur, atque occupari ab inventore poſſunt. Neque obſtat, quod earum dominus habendi animum adhuc retinet; nam fruſtranea eſt voluntas habendi, quod haberi nequit. Haec tamen omnia, quae de utraque occupatione diximus, vera quidem ſunt, ſiquidem aliter non fuerit cautum civilibus legibus, quae pacta publica ab Ariſtotele dicuntur, quae fas non eſt antiquare privatis. Accedit, quod ubi territorium eſt a populo occupatum per univerſitatem, jam deſinit eſſe nullius; ut proinde cuncta quae in eo ſunt, ad populum univerſum, vel ejus Rectorem pertineant.

284. Rerum bello captarum occupationis jure dominium non adquiri vel inde patet, quod eae non ſint dominio vacuae, & hoſtis pro iis tuendis pugnat; bellicae igitur occupationes nonniſi ex

ex belli jure ſunt derivandae : nimirum ſi ad vindicanda jura, vel ad ablata recuperanda neceſſarium ſit nervos hoſti incidere, atque inde arma, urbes, divitias auferre; quin id juſte fieri poſſit, dubitare non licet. Deinde quia nemini jus ſuum damno eſſe debeat; confecto quoque bello, juſte retineri poſſunt res hoſtiles, quoad opus eſt ad juſti belli expenſas ſarciendas.

285. Grotius lib. 2. de J. B. & P. cap. 4. prolixe de uſucapione diſputavit, eamque ex jure Gentium deſcendere contendit. Eſt autem uſucapio *adjectio dominii per continuationem poſſeſſionis rei alienae tempore lege definiti*. Quatuor requirit conditiones, 1. continuatam poſſeſſionem, 2. bonam fidem in poſſidente, 3. juſtum titulum, ideſt cauſam ad dominium transferendum idoneam, 4. tempus lege definitum, nempe in rebus mobilibus trium annorum ſpatium, in immobilibus annorum decem inter praeſentes, viginti inter abſentes. Uſucapionem juri naturali non deberi omni controverſia vacare cenſeo. Quum enim nemo jure ſuo niſi volens ſpoliari queat, nulluſque cum aliena jactura fieri debeat locupletior; non video, cur iniquum non ſit alicui rem ſuam adimere ſolo temporis lapſu, quod cum in ſola relatione, abſtractaque idea conſiſtat (Ontol. §. 225.), nequit eſſe ratio ſufficiens, cur alicui re ſua ſit carendum. At praeſumtam Domini derelictionem fingit Grotius. Atqui id verum eſſe ajo, ubi Dominus ſciens, vel facile ſcire potens, rem ſuam ab alio poſſideri; eamdem vindicare non curat; non vero ſi id ex invincibili ignorantia, aut errore, vel ex impotentia, metuve factum fuerit. Eſt igitur uſucapio tota civilis ad dominiorum incertitudinem auferendam introducta, atque juri natu-

turae permiſſivo ſuperaddita ad Reip. bonum, ac tranquillitatem, quae ſuprema Lex eſſe debet.

286. Alter adquirendi modus originarius eſt *acceſſio*, quo domino ſubſtantiae adquiritur jus ſibi habendi etiam incrementa, quae illi accedunt. Incrementum autem res accipiunt, vel naturae beneficio; vel humana induſtria; vel natura, & induſtria ſimul: hinc acceſſiones aliae *naturales*, aliae *induſtriales*, aliae *mixtae* dicuntur. Quod ad naturales ſpectat acceſſiones, inſpiciendum eſt, an res, quae noſtrae accedit, dominum certum habeat, an ſit nullius, an ejusmodi, ut de ejus domino conſtare nequeat. Si primum, haud noſtrum ſit incrementum, ſed domino reſtituendum: ſi alterum, aut tertium, tamquam res nullius noſtro dominio accedet. Hinc de nova inſula, de alluvione, de alvei mutatione, de animalium foetura facile eſt judicium ferre. Inſula ſiquidem in mari, aut flumine nullius orta ſit occupantis; ſecus ſit illius, cujus eſt mare, aut flumen: nam de dominio particularum terrae, quae demum in inſulam coaleſcunt, conſtare non poteſt. 2. quod alluvione agro noſtro ſenſim ſine ſenſu accedit, nobis adquiritur: non enim conſtare poteſt de domino particularum ab aliorum agris ſenſim abraſarum. Contra ſi conſpicua terrae portio ex alterius agro vi fluminis abſorpta in agrum noſtrum transvehatur, non ſit noſtra, niſi dominus pro derelicta habere malit. 3. Si flumen alveum mutaverit, vetus alveus illius erit, cujus erat flumen; eademque de cauſa alveus, quem flumen in ſolo noſtro ſibi aperuerat, iterumque deſeruit, noſter erit. 4. De animalium foetura, certum eſt, partum cedere ventri, nempe domino foeminae, ubi pater ignoratur, quia eſt ven-

ventris acceſſorium. Idipſum habet locum, ubi animal ſexus dignioris communibus plurium ſumtibus alitur, vel a domino ventris conducitur. Extra hos caſus ſi de utroque parente conſtet, partum ex parte domino dignioris ſexus cedere debere ſtatuit Grotius lib. II. de J. B. & P. cap. 8. §. 18., ubi principii loco ponit, patris partem eſſe foetum; quod merito quis negaverit (Phyſ. Part. §. 644.). Ariſtoteles lib. II. degenerat. animal. ſcribit, *a foemina corpus, & magnitudinem praeberi*; & paullo poſt, *materiam praebere foeminam, principium motionis marem*. Deinde pater breviſſimam in generatione impendit operam; mater contra dum uterum gerit, ad alia fere inutilis evadit, ſolicite eſt alenda, quum enititur morte periclitatur, in prole alenda multi eget victus. Ex his omnibus conficit Puffendorfius lib. IV. de J. N. & G. cap. 7. §. 4. dominum maris animalis aequas ſaltem partes cum domino ventris non poſſe praetendere, praeſertim quum unus maſculus pluribus foemellis impraegnandis ſufficiat. Igitur aliquam tantum ejus rationem habendam eſſe dixerim, praeſertim ſi hunc in finem admiſſarios alat.

287. Induſtrialis acceſſionis ſpecies ſunt *ſpecificatio*, *adjunctio per incluſionem*, *inaedificationem*, *intexturam*, *ſcripturam*, *picturam*, *confuſionem*, *commixtionem*. De his omnibus obſervandum, res jungi vel utriuſque domini voluntate, vel altero invito: ſi primum, uterque fit dominus pro rata, & communio poſitiva inducitur; ſi alterum, diſtingui rurſus debet, num res noſtra facta ſit deterior, an praeſtantior: in primo caſu is qui rem noſtram acceſſione deteriorem effecit, nos laeſit, ideoque retenta ſibi re corrupta, damnum nobis tenetur reſarcire: in

altero caſu, ſi junctae res ſine inſigni diſpendio ſeparari poſſunt, & quin alia damnificetur, ſeparandae quoque ſunt, & ſua cuique tribuenda, quia nemo rem ſuam ſe invito amittere debet; ſi vero abſque inſigni diſpendio obtineri nequit ſeparatio, res junctae alterutri domino cedent, qui tamen aeſtimationem rei, quae ſuae acceſſit, alteri domino praeſtabit. Atvero ut junctae res alterutri domino addicantur, juſtam oportet eſſe cauſam, cur alter alteri praeferatur; eaque non alia videtur eſſe poſſe, quam major rei unius praeſtantia prae alia, quam ex raritate, & affectione rei, ex arte, cura, & cultura aeſtimare ſolemus. Ei igitur junctae res adjudicandae erunt, cujus fuerit res paeſtantior, ut proinde non ſemper verum ſit Jureconſultorum axioma, *acceſſorium ſequitur rem principalem*. Si vero de re obvia, ac fungibili agatur, ejus dominus alia ejuſdem quantitatis, & qualitatis debet eſſe contentus; junctaque res jungenti adquiretur.

288. Inde vero haec ſequuntur Corollaria. I. ſi quis alienam materiam fungibilem ſpecificat novam nempe ei formam inducit; nova ſpecies cedit ſpecificanti, & materiae dominus aliam ejuſdem quantitatis, & qualitatis recipit: ſi vero materia valde ſit pretioſa, nec fungibilis, veluti ſi quis ex alieno aere corinthiaco vas conflaverit; domino materiae cedet ſpecies, perſoluto interim pretio operis ſpecificanti, qui in bona fide fuerit. Quid vero ſi in mala fide? Speciem ab eo amitti definit jus civile L. XII. §. 3. ff. *ad exhib.*; ſed negat Grotius id eſſe juris naturalis, quippe quod *poenas non definit, nec ob delictum per ſe dominia aufert*. Negat quoque Genuenſis noſter lib. I de offic. cap. 12. *Nam jure naturae qui alterum laeſit, talio eſto; ergo*

ergo ſi in integrum laeſum reſtituat, nihil reliquum eſt, quod ei faciat: re vero ſua ſpoliari eſſe praeter talionem; hanc igitur punitionem imperii civilis, attamen juſti, eſſe cenſet ad malos dolos coercendos. Verum Barbeyracius in ſuis ad Puffendorfium commentariis a naturali jure id repetit: ſpecificans namque, aut alio modo jungens, in mala fide ſi fuerit, laedendi animum habet, ut idcirco ad poenam teneatur: at nulla magis eſſe videtur naturalis poena, quam ut rei, aut operae jacturam ille faciat; eaque ſecluſa, periculum eſſet, ne arva noſtra alienis plantis conſita quotidie cerneremus, vel alias experiremur laeſiones, quippe quae parum, aut nihil incommodi laedentibus adlaturae. Excipit tamen Barbeyracius, ſi res aliena tum in ſe, quum reſpectu formae leviſſimi ſit valoris; veluti ſi chartae magni momenti res inſcribantur. 2. ſi quis rem alienam, veluti gemmam, rei ſuae, veluti annulo aureo, per incluſionem adjunxit; quia res hoc modo junctae citra magnum diſpendium poſſunt utplurimum ſeparari, ſunt ſeparandae, & res cuique ſua addicenda. De adjunctione per intexturam, quia res intexta plerumque ſeparari nequit, quin deterior, aut omnino inutilis evadat; ea quidem accedet intexenti, atque damnum alteri domino reſarciet. 3. quoniam ſcripturae ac picturae majus eſt pretium, quam chartae, aut tabulae; ſcriptori, ac pictori charta ac tabula cedere debent. Quod ſi vero quis in mea charta, aut tabula ineptias ſcripſit, vel pinxit, eas ſibi habebit, praeſtita mihi aeſtimatione chartae, aut tabulae, quas corrupit. 4. aedificium cedit ſolo, ubi illud ex ſolido lapide fuerit conſtructum, tum quia ſolum eſt principale, ac pretium affectionis recipere poteſt, tum quia ſine inſigni diſpendio di-

rui nequit; ſoli tamen dominus aedificii pretium perſolvet. Si vero ex tabulis dumtaxat junctis facileque ſeparabilibus conſtet, nulla erit ratio, cur domino repoſcente non ſejungantur, eique reſtituantur; ſatius tamen erit, ſi conſimiles tabulas ſibi recipiat, atque ita indemnis ſervetur. Quod ſi ſoli dominus facile eodem carere queat, neque commodum ei ſit aedificii pretium ſolvere, aut inutile profus futurum ei ſit aedificium; recepto ſoli pretio aedificium relinquet aedificanti. 5. res liquidae, ut vinum, oleum, inter ſe confusae; aut ſolidae, ut grana frumenti, inter ſe commixtae in communionem poſitivam veniunt, ſiquidem utriuſque domini voluntate facta fuerit confuſio, aut commixtio: ſin vero altero domino invito, miſcenti aut confundenti cedent, qui tamen alteri domino tantum reſtituet, quantum detrimenti eſt paſſus. Quod ſi iſte partem mixtae, confuſaeve materiae poſcat, res iterum in communionem poſitivam venient.

289. Mixtae demum acceſſiones ſunt *Satio*, atque *plantatio*. Plantatae res aut ſatae ſiquidem coaluerint, plerumque translationem commode non admittunt, & extra ſolum ſervari nequeunt, atque ex eodem alimenta ſuſceperunt; eſt igitur aequiſſimum, ut ſoli domino volenti cedant, ita tamen, ut dominus alter reddatur indemnis. Quod ſi plantae translationem admittant, nobiliores praeſertim, quam ſit uſus ſoli; tunc plantae domino concedendum eſt eamdem eradicare, alioque transferre, ſoluto interim ſoli uſu. Si demum ſoli dominus alienas plantas noluerit, quia ſolum nobiliori ſeminio deſtinaverit; poſitas ſibi ſumat earum dominus, uſumque ſoli perſolvat. Planta demum in confinio poſita radices in utriuſque vicini fundum implectens pro rata utriuſque vicini eſt: nam & qui eam plan-

tat,

tat, conſentit ut radices in vicini fundum immittat; alter quoque vicinus, qui plantantem excludere poſſet, nec tamen excludit, conſenſu eam communem facit. Atque haec ſunt Naturalis juris praeſcripta, quamvis Rom. Juriſconſulti ſubtiliter potius, quam vere de his definierint, uti advertit Thomaſius ſingulari Diſſertatione *de pretio affectionis in res fungibiles non cadente*.

290. De modis adquirendi derivativis dicendum. Res poſitive communes, *Diviſione*, aut *Ceſſione* fiunt propriae; *Traditione* autem de unius proprietate in alterius proprietatem deveniunt. Quum totum, vel pars totius uni amittitur, alteri adquiritur, *alienatio* fieri dicitur: haec vero *neceſſaria* eſt, ſi fiat ex anteriore adquirentis jure; *voluntaria*, ſi de novo decernatur amittentis & adquirentis conſenſu. Rurſus *pura*, vel *conditionalis*: haec dominii translationem ab aliqua circumſtantia ſuſpendit; non item illa. Demum alienatio fit *pro praeſenti*, quum dominium nobis vivis transfertur; *pro futuro*, quum poſt fata.

291. Diviſio eſt rei in communione poſitiva conſtitutae diſtributio, ſic ut cuivis ſociorum pars aliqua fiat propria. Unuſquiſque ſociorum ad diviſionem provocare poteſt pro parte ad ſe pertinente, neque audiendi alii ſunt hanc diviſionem impedituri, quum praeſenti humani generis conditioni non ſatis conveniat poſitiva communio (§. 274.); modo tamen ne id pactis prohibitum ſit, aut quo tempore proclamatur ab uno ad diviſionem alii laedantur: id quippe initae ſocietatis fini adverſatur. Quum autem fit diviſio, tum rei natura, tum jura ſociorum attendi debent. Res communis aut dividua eſt, aut individua: illa, ſi poſtuletur diviſio, tot in partes tribuen-

da eſt, quot ſunt ſocii; iſta vel uni ſociorum eſt relinquenda, praeſtita ceteris aeſtimatione; vel vendenda juſto pretio, quod poſtea in ſingulos dividatur; vel denique ejus uſus per vices ſingulis concedendus. In addicenda vero individua re uni ex ſociis, ſi inter partes non convenerit, & aequalia fuerint omnium jura; ſorte dirimenda lis eſt. Porro ſociorum jura ſunt ſpectanda, quae aequalia eſſe poſſunt, vel inaequalia: priore caſu res aequas in partes eſt dividenda, nec quiſquam poteſt praerogativam affectare, ne diviſio in leoninam abeat; poſteriore, habita proportione ad jura ſingulorum: id nempe poſtulat expletrix juſtitia. Quod ſi jus ſociis ſit in re communi non perfectum, ſed eam aliquis communem faciat ex benevolentia; erit tum in hujus arbitrio uti libuerit diviſionem inſtituere, nec poterit ſociorum ullus de injuria conqueri.

292. Ceſſione rem communem ſocii in unum transferunt, ejuſque propriam totam faciunt, ut idcirco hic in reliquorum omnium jura, & onera ſuccedat. In diviſione, ac ceſſione ſocii in unum transferunt rei dominium, nempe jus ſibi eam habendi, aliosque ab ejus uſu excludendi; ideoque tenentur ad *evictionem* ei praeſtandam, nempe ad reparandum damnum, ſi alius rem jure & ſine culpa poſſeſſoris evicit, dummodo tamen res ſocio ex *titulo oneroſo* obvenerit.

293. Traditione demum adquiritur dominium, quum dominus, qui jus & voluntatem habet alienandi, illud in alium transfert. Tria hic veniunt conſideranda; tradens nimirum, accipiens, & traditionis ratio. In tradente jus & animus alienandi requiritur: quare nullum effectum habet traditio facta ab eo, qui non eſt rei dominus, aut cujus dominium Lege, con-

ven-

ventione, aliave ratione ita eſt ligatum, ut alienare non poſſit; nulla etiam facta ab infante, furioſo, mentecapto, aliisve id genus hominibus, qui quid rei geratur non intelligunt, aut non intelligere praeſumuntur. Jam & accipiens debet eſſe dominii capax, animumque adjicere ad rem ſibi habendam. Perſonae itaque jure inabiles dominium rei traditae non adquirunt, uti nec ille, qui eam non acceptat: acceptare autem quis cenſetur aut vere, quando conſenſum ſuum verbis, vel factis teſtatur; aut etiam ſilentio, quum nimirum ex ipſa rei indole non poteſt non intelligi, eum non aſpernaturum, quamvis fortaſſis ex erubeſcentia, aliave de cauſſa conticeſcat: exemplum habes in filio, qui propoſitis ſibi a Patre nuptiis tamdiu a ſe optatis, ob reverentiam conticeſcit. Quod ad modum traditionis ſpectat, jus quidem Rom. rem ipſam, ejuſque poſſeſſionem tradi vult; ſed in jure Naturae nulla eſt ratio ſufficiens, cur id exigatur; quum, fatentibus ipſis jureconſultis, *nihil tam conveniens ſit naturali aequitati, quam voluntatem domini volentis rem ſuam in alium transferri ratam haberi* §. *Inſt. de rer. diviſ. L. IX. ff. de adq. rer. dom.* Unde conficitur, omnem domini voluntatem de transferendo rei ſuae in alium dominio, ſeu diſerte explicatam, ſeu certis ſignis elicitam, dominium transferre; perinde quoque eſſe, ſi quis abſens ſcriptis litteris, ſive praeſens in manum, ſive per inductionem in rem, ſive per longam (*) bre-

K 4

(*) Traditio *longa manu* fieri dicitur, quando res non immediate alterius corpori admovetur, ſed vel cominus vel eminus demonſtratur: *brevi manu*, quando res, quam aliquis penes ſe habet ex alia cauſa, eidem relinquitur; *v. g.* habebas loco pignoris annulum meum, eumdem tibi dono; fit ad inutiles evitandas ambages.

brevemque manum, ſive per ſymbolum inter homines alicujus provinciae receptum traditionem, vel quaſi traditionem faciat; nihil demum intereſſe, ſeu dominus ipſe, ſeu ejus juſſu, mandato, adprobatione quis alius rem tradat. Atvero ut traditione transferatur dominium, juſtus quoque titulus adſit, oportet; ideoque non tranſit dominium, ſi res alicui cuſtodienda tradatur, aut commodetur.

294. Quoniam in poteſtate domini eſt rem ſuam ita in alterum transferre, ut aliquid juris ſibi in eadem reſervet, hinc ortum fuit ſemiplenum dominium (§. 257.). Utilis dominii variae ſunt ſpecies: eſt *Feudum*, conjunctum nempe cum onere fidelitatis, & certi obſequii domino directo praeſtandi, nec alienandi rem ſine ejus conſenſu: eſt *emphyteuſis*, cum obligatione ſolvendi annuum canonem in agnitionem directi dominii: eſt *jus ſuperficiei*, ſeu jus fruendi ſuperficie alieni ſoli, aedificando, plantando, aliudve agendo: ſunt aliae multae, prout dominus in tradendo plus minuſve juris ſibi retinet, atque accipientis dominium praefinitis limitibus circumſcribit. Denique ſi non res ipſa, ſed uſus aliquis traditur, accipienti adquiritur in re aliena *ſervitus*, quae vel *perſonalis* eſt, ſi uſus ad utentis perſonam reſtringatur; vel *realis*, ſeu *praedialis*, ſi concedatur ipſi utentis praedio, adeoque & omnibus in illo ſucceſſoribus. De variis ſervitutum ſpeciebus conſulantur civiles jureconſulti.

CAP.

CAP. VIII.

De derivativis adquiſitionibus ex Teſtamento, & ab inteſtato.

DEFINITIO.

295. Teſtamentum eſt ſolemnis declaratio voluntatis noſtrae de univerſa haereditate, omnique jure, quod teſtator tempore mortis habiturus eſt, poſt ejus mortem in alium transferendo; ad libitum tamen noſtrum ante mortem revocabilis.

SCHOLION.

296. Fieri debet Teſtamentum cum omnibus ſolemnitatibus a Lege praeſcriptis, quum ſit actus innumeris hominum fraudibus expoſitus. Deinde non de haereditatis parte tantum diſponere poteſt Teſtator, ut proinde nemo partim teſtatus, partim inteſtatus mori poſſit. Nihil juris in haeredem transfertur, imo ne certa quidem ſpes, quum Teſtator priores tabulas ad libitum poſſit reſcindere, novaſque condere, etiamſi prioribus tabulis jusjurandum adjecerit; imo & ab inteſtato etiam decedere. Hinc & nemo poteſt cum duobus teſtamentis mori: poſteriores ſiquidem tabulae prius factas reſcindunt.

297. Deſcripti Teſtamenti factionem non eſſe a jure Naturae facile eſt demonſtrare. Nam 1. teſtator nihil cum haerede agit, quum de rebus ſuis diſponit; neque haeredi quidquam negotii eſt cum teſtatore, quando adquirit; proinde alie-

na-

natio nulla fieri poſſe intelligitur (§. 293.) 2. dominia morte extinguuntur (§. 272.); adeoque & alienandi poteſtas; quantumvis igitur teſtator velle ſe ſignificet, ut ſibi poſt mortem ab his vel illis ſuccedatur, nullum tamen vacantium rerum dominium transferre poteſt. 3. Nulla eſt ratio, propter quam univerſa lex mundana arbitria morientium, quae ultra vitam ſpectant, probare debeat, praeſertim ſi ex ignorantia, aut ex pravis praejudiciis, aut ex malis affectibus exiſtunt; necnon cur humanae res a mortuis adminiſtrentur, qui nullo jure noſtris rebus ſeſe intermiſcendi potiuntur. Atqui, ait Leibnitius nov. meth. juriſpr. animae ſunt imortales. Verum inde non conſequitur, mentes corporum vinculis exſolutas rerum ſuarum dominia retinere, & ex altera vita alienare.

298. Grotius lib. II. de J. B. & P. cap. 6. §. 14. teſtamenti factionem a Jure naturali derivare conatus, illud definit, *alienationem in mortis eventum, ante eam revocabilem, retento interim jure poſſidendi, ac fruendi*: at video bonum hic dormitare Homerum. Ac 1. poſita definitio arbitraria prorſus eſt. 2. eſt quoque falſa, quia nulla per teſtamentum fit alienatio, quae nonniſi in juris translatione conſiſtit, in eaque actus duorum requiritur, dantis nimirum, & accipientis, & utriuſque eſt actus; nullumque eſt tempus, in quo utriuſque conſenſus concurrit: non vivo teſtatore, quum ibi deſit haeredis acceptatio; non tempore aditionis haereditatis, deficiente voluntate teſtatoris, quum mortuus conſentire non valeat. Neque praeſumtum haeredis conſenſum allegare licet, quum in ejus ſit arbitrio teſtamentum acceptare, vel ſecus. Fruſtra hic allegat Grotius donationes mortis cauſa factas: nam in his ex mutuo conſenſu

ſta-

ſtatim donatario jus adquiritur, atque exequutio poſt mortem differtur; at in teſtamentaria diſpoſitione jus unice adquiritur ex acceptatione, quae fit poſt mortem. 3. haereditatis nomine complexus omnium jurium uſque venit: at juxta Grotianam definitionem ſola bonorum translatio fieret, non jurium, quum Teſtator poſſidendi fruendique jura ſibi retineat. 4. teſtamentaria diſpoſitio tota fictionibus nititur: nam Rom. jureconſulti teſtatoris ſimul atque haeredis conſenſum adeo neceſſarium eſſe agnoverunt, ut idcirco finxerint, idem eſſe momentum factionis teſtamenti cum momento mortis, atque hoc idem eſſe cum momento aditionis, quod ad mortis momentum retrotrahebant; atqui fictionibus jus naturae non adſtipulatur. Teſtamenta igitur non jure naturae, ſed civili, vel ſi mavis, tacitis populorum pactis vim habent ſuam, non adverſante natura. Intereſt enim tranquillitatis publicae eſſe omnibus perſuaſum, ut de rebus ſuis diſponere poſſint poſt mortem, praeſertim parentibus

Sed quibus in aedibus eſt liberorum
Dulce germen, eos video curis
Confici omni tempore:
Primum quidem quo pacto illos bene educent,
Et unde victum relinquent liberis

Euripides in Medea.

299. Pactis ſucceſſoriis adſtipulatur jus naturae, quum habeatur paciſcentium ſimul conſenſus, quo jura transferuntur, & exequutio in mortis tempus differtur ſub conditione, ut ſuperſtes mortuo ſuccedat. Atvero improbantur jure Rom. ea pacta, utpote quae triſtiſſimi eventus plena, bo-

boniſque moribus adverſa. Atqui ratio de voto captandae mortis non magis in haec pacta, quam in donationes cauſa mortis cadit, quas tamen Rom. leges ſtare patiuntur. Neque triſtiſſimi eventus, quos vidit aliquando Roma, argumento ſunt, ſucceſſoria pacta bonis moribus adverſari: ſiquidem non a pactorum natura, ſed ab hominum improbitate id factum eſt; quum nec donatio cauſa mortis, neque teſtamentum, neque aliud quodvis humanum inſtitutum ita ſint comparata, ut abuti illis nequeant improbi homines.

300. Quoniam factio teſtamenti, in qua expreſſa habetur teſtatoris voluntas, jure naturae non valet (§. 297.); multo minus eodem jure valebunt ſucceſſiones ab inteſtato, ubi ex civilis Legis praeſcripto ad haereditatem vocantur illi, quos praeſumitur vocare voluiſſe Defunctus, ſi fuiſſet teſtatus, eos nempe, quos praecipue in vita amaverit, & in quorum gratiam ſua adquiſierit bona, tantaque ſollicitudine conſervarit. Jamvero ſanguine ſibi junctos prae extraneis amaſſe quiſque praeſumitur; aequum ergo videtur, ut ſecluſis extraneis, ſanguine juncti defuncto ſuccedant. Ex eadem praeſumta voluntate conficitur, quis ordo ſucceſſionis inter ipſos propinquos obtinere debeat: primi ſcilicet erunt defuncti liberi, tum nepotes, aliique deſcendentes, deinde aſcendentes, poſtremo collaterales: amor ſiquidem prius deſcendit, aſcendit deinde, poſtremo in latera vergitur.

CAP.

CAP. IX.

De juribus, & officiis, quae ex dominio oriuntur.

DEFINITIONES

I.

301. FRaus eſt omne factum fidei adverſum, quo alteri, quocum nobis eſt negotium, inſcio damnum affertur.

SCHOLION.

302. *Fraudare* alterum quis dicitur, qui contra fidem, ad quam eidem eſt obſtrictus, inſcio dat damnum, ſeu ita agit, ut is rei ſuae, vel quae ſua eſſe debebat, jacturam faciat.

II.

303. *Furtum* eſt ablatio clandeſtina rei alienae mobilis, inſcio ac rationabiliter invito domino, lucri faciendi cauſſa: ſi fiat ea ablatio non furtim, ſed vi adhibita, *rapina* dicetur; ſi rapiatur res immobilis, fiet tunc *violenta dejectio*.

COROLLARIUM.

304. Si furtiva, aut violenta fiat ablatio animo jocandi, aut injuriam inferendi, neque furtum habebitur, neque rapina. Rurſus ſi fiat, invito domino quidem, at non rationabiliter; furti ac rapinae crimen aberit.

III.

III.

305. *Poſſeſſor bonae fidei* dicitur, qui rem, quam poſſidet, juſte ſuam eſſe putat: *poſſeſſor malae fidei*, qui rem, quam poſſidet, alienam eſſe novit.

IV.

306. *Fructus pendentes* dicuntur, qui a re, ex qua proveniunt, nondum fuerunt ſeparati.

V.

307. *Fructus percepti* dicuntur, qui a re, ex qua proveniunt, jam fuerunt ſeparati, ac plene collecti.

VI.

308. *Fructus percipiendi* ſunt, quos quis percipere poterat, modo voluiſſet, ſi vel jam natos a re ſeparare non neglexiſſet, vel debitam culturam non omiſiſſet, quo illi naſcerentur.

VII.

309. *Fructus extantes* dicuntur, quos poſſeſſor rei, ex qua provenerunt, adhuc habet: *conſumti*, qui amplius non extant.

VIII.

310. *Uſus* eſt jus percipiendi ex re aliena tantum commodi, quantum eſt quotidie neceſſarium, ſalva tamen rei ſubſtantia.

IX.

IX.

311. *Uſufructus* eſt jus re aliena utendi fruendi, *h. e.* omne emolumentum, quod ſalva rei ſubſtantia inde provenire poteſt, percipiendi.

X.

312. *Fructus naturales* ſunt, qui ex re ipſa proveniunt: *civiles*, qui occaſione dumtaxat rei percipiuntur.

SCHOLION.

313. Naturales fructus ſunt animalium pili, lana, lac, ova: civiles, ſeu legitimi ſunt uſura, penſio rerum locatarum, vectura, cetera id genus.

314. Principio hoc ipſo quod quis rei alicujus dominus eſt; procul dubio eadem ad libitum ſuum utendi jus habet; igitur convenit ei libera rei ſuae diſpoſitio; ut proinde eamdem immutare poſſit, utiliorem reddere, omnem utilitatem, fructumque percipere, in vitae commoda adhibere, uſu conſumere, deſtruere etiam ſi expedire videatur, aut corrumpere, modo ne id fiat conſilio aliis nocendi; aliis communicare, ejus dominio ſe abdicare, uſum, vel uſumfructum ſuper illa conſtituere. At poterit dominus re ſua pro libidine abuti, vel inique perdere, ne alii perfruantur? Nullum jus, quo ſtulti ſimus, nobis mundana lex praeſtare potuit. Deinde quum poſſit dominus alios uſu rei ſuae excludere, poteſt idem ſibi ſoli eam detinere; ei ergo debetur poſſeſſio, & jus adverſus alios eam tuendi, vimque vi repellendi. Ex jure poſſidendi conſequitur & jus vindicandi rem ſuam a quovis ini-

iniquo, aut bonae fidei poſſeſſore: vindicandi ſiquidem jus non a culpa, aut crimine poſſeſſoris, ſed a dominii natura exoritur. Haec tamen jura Lege, aut pactis, vel diſpoſitione prioris domini poſſunt circumſcribi.

315. Quoniam juri alicujus reſpondet in aliis obligatio, ſine qua inutile jus foret; hinc officii noſtri eſt, dominum in libera ſui diſpoſitione non praepedire. Adverſus hoc officium peccant, qui efficiunt, ut dominus rebus ſuis pro lubitu ſuo uti nequeat, omnemque utilitatem ex ea percipere; vel qui rem, acceſſiones, fructus corrumpunt: hi profecto dominum laedunt, atque ex laeſione obligatio ad ſatisfaciendum conſequitur.

316. Alterum officium eſt, ut dominum rem ſuam tranquille poſſidere ſinamus, neque ei invito poſſeſſionem directe, vel oblique eripiamus: directe quidem per furtum, rapinam, aut violentam dejectionem; oblique per fraudem. Solemniter itaque erraſſe dixeris Salmaſium *de uſuris cap. IX.* ubi furtum juri naturae repugnare negat. Laeſi hujus officii rei habentur, qui auctoritate ſua, aut calliditate aliorum imbecillitatem, aut ignorantiam circumveniunt, eoſque fraudant juſto rerum, laborumve pretio, aut mercede, vel dona carpunt; necnon ii, qui alium a jure perfecto adſequendo praepediunt.

317. Demum quia dominus jus habet rem ſuam vindicandi; ſi haec ad alienum poſſeſſorem devenerit, hic eam domino reſtituere tenetur; imo & operam dare debet, ut illa in domini poteſtatem deveniat. Quare non modo illam occultare nequit, ſed & ejus indicium palam facere debet, ut dominus, oſtenſis dominii argumentis, illam repetere queat. Sane quantum domini intereſt, perinde eſt bona an mala fide quis ejus rem

rem detineat ; hinc & bonae fidei poſſeſſor non poteſt ſine crimine rem alienam ſibi retinere , atque ad reſtitutionem tenetur , ubi rem eſſe alienam noverit . Si vero juſta dubitandi argumenta ei ſe offerant , indagare tenetur , ſit necne res aliena ; dominoque comperto , ſtatim reſtituere obſtringitur , alioquin in mala fide eſſe incipiet ; ſi nullus adpareat dominus , merito eam ſibi retinebit .

315. Bonae fidei poſſeſſor , quamdiu in bona fide eſt , pro domino ſe gerit ; proinde iiſdem juribus , ac ipſe dominus , fruitur . Quum vero nemo debeat cum aliena jactura fieri locupletior ; hinc poſſeſſor bonae fidei tantum reſtituere domino tenetur , quantum ditior eſt factus ; atque in hoc calculo computandum venit, quantum rebus ſuis pepercit ; nam quum & hoc in ſuo habeat patrimonio , in eodem factum eſſe ditiorem liquet . Quare ſi res caſu , vel etiam poſſeſſoris culpa perierit , vel ſi ab eo fuerit alteri donata ; ſi in ludo , conviviis , aliiſque id genus voluptatibus conſumpta ; vel ſi vendita eodem pretio , aut minoris, quam ipſe emerat ; nulli obnoxius erit reſtitutioni, quum locupletior non evaſerit : ſecus ſi rem ſibi donatam vendiderit , vel ſine hac tantumdem donaturus fuiſſet, vel ſibi venditam majoris revendiderit; reſtituere tenebitur in quantum factus eſt ditior, modo pretium non in epulis *v. g.* aliiſve id genus deliciis abliguriverit, non facturus, ſi eam rem non habuiſſet . Eadem ex cauſa neque lucrum domini ceſſans , emergenſve damnum , neque fructus percipiendos reſtituere debet *b. f.* poſſeſſor; ſecus vero fructus pendentes , extantes , quippe qui ſolo accedentes domino cedunt (§. 314.), ſive naturales fuerint, ſeu mixti , ſeu civiles, ſubductis tamen expenſis neceſſariis , aut utilibus ,

non tamen voluptuoſis, quas genio ſuo ſacrificaſſe videtur. De induſtrialibus fructibus video ab aliquibus fuiſſe ſubdubitatum: quippe quum merae induſtriae debeantur, illam apponenti cedere debere videntur. Sane aliud praetendere non poteſt dominus, quam ut ex quo in malam fidem deventum eſt, omne emolumentum, quod ipſe percipere potuiſſet, ſibi cedat; atvero fructus alienae induſtriae abſciſſe debitos ipſe nequaquam percepiſſet; quare & nullo jure eoſdem praetendere poſſe videtur: exemplum habes in eo, qui alienum triticum putans eſſe ſuum in longinqua loca deportavit, ut venderet idem carius; vel in eo, qui ex alienae pecuniae negotiatione lucrum fecit. Conſumti quoque fructus reſtituendi ſunt, ſi ditior ſit factus *b. f.* poſſeſſor, ſive rebus ſuis pepercerit. Neque tenetur dominus, ubi rem ſuam repetit, pretium reſtituere, quod *b. f.* poſſeſſor expendit, tum quia nemo tenetur dominium ſemel adquiſitum iterum titulo oneroſo adquirere; tum quia ex nulla conventione, aut delicto obligatur.

319. Malae fidei poſſeſſores dominorum loco non ſunt; ideoque omnes ceſſant rationes, cur aliquid ex re, vel ejus fructibus lucrari poſſint; quare indemnem dominum, etiam cum aequali ſuo damno, ſervare debent, & ad omne id, quod intereſt, reſarciendum obſtringuntur, etiamſi locupletiores non evaſerint. Hinc non modo ad reſtitutionem rerum exſtantium, ſed & juſti pretii conſumtarum, vel alienatarum; necnon ad omnium fructuum naturalium, civilium, & mixtorum, quos ipſi perceperunt, quemadmodum & a domino diligentia ſua percipiendorum aeſtimationem praeſtandam obligantur; ad omne etiam lucrum domino ceſſans, damnumve emergens, ad omne denique caſum,

Cete-

Ceterum ne qui latrones horremus, oblectemur alienis, ex reſtitutione expenſae tum neceſſariae, tum utiles ſubtrahantur oportet.

320. Duo hinc quaeri poſſunt. Primum; an malae fidei poſſeſſor fructus mere induſtriales reſtituere cogatur. Alterum, an obligetur ad reſtitutionem rei, quae caſu apud ſe periit, eodem caſu penes dominum aeque interitura, puta naufragio, incendio, terraemotu, alluvione. Ad primum quod ſpectat, quum domino aliud non ſit jus, quam ut ſervetur indemnis, atque in integrum reſtituatur; facta ei reſtitutione, jam finem ſuum eſt aſſequutus, nec metere poſſe videtur, quod non ſevit, nec proinde fructus alterius induſtria unice partos ſuos ſibi facere, ut idcirco *m. f.* poſſeſſor eoſdem reſtituere non teneatur. Ad alterum ajo, reſtitutionis obligationem interire, quum primum res caſu fortuito ſine cujuſpiam culpa perit: caſum namque fert dominus, qui divinae providentiae tribuere debet, quod rem ſuam amplius habere nequeat; neque peculiaris culpa caſum genericum unquam afficere poteſt.

321. Quaerit Grotius *lib. II.* de J. B. & P. *cap.* 10. §. 12. num naturaliter quod ob turpem cauſam acceptum eſt, ſit reſtituendum? idque negat: nam ratione rei nemo tenetur, niſi res ſit aliena; hic autem domino volente tranſit dominium. Idem quoque ait D. Thomas 2. 2. quaeſt. 62. art. 5. ad 2. Nec conqueri poteſt prior dominus, rem turpi titulo eſſe alteri adquiſitam: nam & ipſe ultro pactus eſt turpem operam, & pro eadem quam judicavit mercedem ſponte tradidit.

C A P. X.

De Promiſſis ac pactis

DEFINITIONES.

I.

322. A*ſſertio nuda praeſtandi* eſt ſufficiens declaratio voluntatis noſtrae, quae nobis nunc eſt, alteri quidpiam praeſtandi, aut faciendi, ſejuncta ab animo in hac voluntate perſeverandi: veluti ſi inter familiares ſermones dixerim, *Sejum aliquando heredem inſtituam*.

COROLLARIUM.

323. Quoniam nudae aſſertiones nonniſi praeſens animi propoſitum declarant; hinc & nullam pariunt obligationem in iis permanendi, aut faciendi quod dictum eſt.

II.

324. *Promiſſio* eſt aſſertio quidpiam alteri praeſtandi, ac perſeverandi propoſito juncta, & animo ſe obligandi. *Promiſſor* eſt is, qui promittit; *promiſſarius*, cui promittitur.

COROLLARIUM.

325. Quum ſint duo correlata, jus & obligatio; hinc oritur in promiſſario jus exigendi, quod

quod a promiſſore lingua fuit nuncupatum, aut aliis ſignis promiſſum.

III.

326. *Pactum* eſt duorum pluriumve conſenſus in idem.

VI.

327. *Pacta unilateralia* ſunt ea, in quibus unus tantum alteri promittit: *bilateralia*, in quibus ambo ſibi mutuo aliquid promittunt.

COROLLARIUM.

328. Pactis bilateralibus tacita ineſt conditio, unum praeſtiturum quod promiſit, ſi & alter ex ſua parte ſit pacto ſatisfacturus.

V.

329. *Pacta obligatoria* ſunt, quibus nova conſtituitur obligatio; *liberatoria*, quibus obligationes antea conſtitutae tolluntur: *mixta*, quibus priores tolluntur obligationes, novaeque ſimul pro arbitrio paciſcentium conſtituuntur. Mixta pacta *novationes* dicuntur.

VI.

330. *Tranſactio* eſt deceſſio a lite ſuper jure controverſo, non tamen gratuito facta; ſed aliquo dato, vel retento, vel promiſſo.

331. Scitum eſt, Rom. Leges nudis pactis, ac promiſſis nullam tribuere civilem obligationem, indeque provenientem actionem; at perfectam

obligationem naturalem non negabant; ſiquidem ratione illius compenſationi erat locus L. 6. ff. de Compenſ., & novationi L. 1. §. fin. ff. de novat., necnon exceptioni L. 45. ff. de pact. Unde & quod a promittente per errorem fuerat ſolutum, conditione debiti repeti non poterat. Fallitur ergo Connanus, qui Romanorum commendaturus prudentiam, etiam jure Naturae ex nudis pactis, ac promiſſis jus perfectum oriri negat: eum adoritur prolixe Grotius lib. II. de J. B. & P. cap. 11. Sane qui aliquid promittit, mentem ſuam de dando faciendove aperit: atvero ita utendum verbis aliiſve ſignis, ne alter decipiatur (§. 230.). Deinde juſtitiae amor nos ſubigit, ut quod nobis fieri nolumus, id nec alteri faciamus (§. 220.): atvero mortalium nemo pactis, ac promiſſis vult ab aliis decipi; pacta igitur, ac promiſſa ſancte ſervanda ſunt, & jure quidem perfecto. An jus naturae dolo aſſiſtet? An omnem fidem humanam tollet? An omnem eradicabit ſocietatem, quae nonniſi pactis regitur? An foedera inter gentes abſcindet? Vide quot abſurda! Eſt igitur officii perfecti promiſſiones, & pacta eſſe ſervanda. Connani argumenta ſuffiaminat Grotius loco laudato; ab iis abſtineo, quia frivola ſunt.

332. Placuit quibuſdam duorum generum promiſſiones ſecernere, *perfectas*, quibus non ſolum obligari volumus, ſed & alteri jus damus a nobis exigendi quod promiſimus; & *imperfectas*, quibus obligari quidem volumus, ita tamen ut alteri non ſit jus exigendi quod eſt promiſſum. At quum jus, & obligatio duo ſint correlata (§. 325.), non intelligo qui fieri poſſit, ut ex parte promiſſoris oriatur obligatio, quin tamen promiſſario jus ullum adquiratur. Deinde hac diſtinctione ſemel admiſſa, pacta omnia, & pro-

promiſſa turpiter eludi poterunt : quiſque enim dicere poterit , non fuiſſe ſibi propoſitum promiſſario jus aliquod tribuendi . Allegari ſolent Magnatum pollicitationes , quibus nullum conferri ſubditis jus exigendi intelligitur . At ecce nullum inde jus quaeritur ſubditis ? Nonne & Magnates univerſae Legi mundanae ſubjiciuntur ? Nullum quidem inter homines judicem habent , a quo cogantur , nec ullus ſe interponet fiſcus ; ſed mundi fiſco poenas perſolvent .

333. Conſenſu conſtant pacta (§. 326.) ; conſenſus vero declaratus ſit oportet : quum enim in voluntatum convenientia conſiſtat , alter autem alterius voluntatem perſpicere non valeat ; ſignis quibuſdam debet alteri innoteſcere . Signa vero ſi fuerint verba ſcripta , aut ore prolata , nutus , aliaque id genus , *expreſſus* vocabitur conſenſus ; ſin factum ipſum , *tacitus* dicetur conſenſus : nam quum quis efficit , procul dubio conſentit rei , quam efficit ; veluti ſi mercator alterum rogat , ut ſibi tot pondo optimi cinamomi pro tanto pretio mittere velit , hicque remittat , tacite conſenſiſſe cenſebitur : Facta autem ut taciti conſenſus ſigna eſſe queant , aliam habere non debent rationem : nam ſi habeant , fruſtra ibi conſenſus ille praetenditur ; veluti ſi debitori pignus commodem , ut eo utatur die nuptiali , fruſtra hic inde deduceret , ſibi jus pignoris a me fuiſſe remiſſum . Silentium perſaepe conſenſus indicium eſſe ſolet : qui enim tacet , quia non contradicit , conſentire cenſetur ; at id non ſemper obtinet : in aulis Principes rogati tacere ſolent , nec quid illi velint , fas eſt intelligere . Quid ſi patre dicente , *abi domum* , *& ſuſpende te* , prae ſtupore conticuiſſet filius ? an ideo conſenſiſſe diceretur ? Itaque de ſilentio ex natura rei , aliiſque circumſtantiis

 eſt

eſt dijudicandum. Silentii exemplum (§. 293.) conſenſus eſt indicium: at ſi filiusfamilias truculentiam patris veritus interrogetur, an Maeviam, a qua maxime abhorret, ducere velit, & conticeſcat; non idcirco conſenſiſſe videbitur.

334. Ut vero aliquis liquido conſentire queat, intelligere prius debet qua de re agatur, praeſenſque negotium noverit, ſibi conveniat necne, & a ſe praeſtari queat. Eo nomine infantium, furioſorum, amentium, niſi ubi dilucidis intervallis furor amentiaque diſtinguitur, pacta nulla eſſe liquet. Quouſque autem perduret infantia, & quandonam pubes fiat homo, definiri non poſſe in jure naturali, recte ait Puffendorſius lib. 1. de off. hom. & Civ. cap. 9. §. 11. alii namque citius, alii tardius propter corporis temperamentum adoleſcunt; in quibusdam ingenium praecocius, in quibuſdam ſerius; climata quoque & educatio efficiunt, ut aliqui reliquis ſapiant citius. Antiqui Philoſophi, in primis genethliaci ſingulis ſeptenis annis hominum corpora mutationes aliquas ſubire ſtatuerunt; unde & pleraeque gentes annos iſtos climactericos pro principio ſumpſerunt. Hinc Romani infantiam anno 7 finiri poſuerunt, annum pubertatis 14, plenae pubertatis annum 18 fecerunt. Ceterum quum variis exceptionibus ſemper dandus ſit locus, nihil ſupereſt reliqui, quam ut ex cujuſque animo, mentis acumine, atque ex ipſo corporis habitu dijudicetur, an quis ad conſentiendum ſit idoneus.

335. Idem eſto judicium de ebriorum promiſſionibus, ubi eo uſque proceſſit ebrietas, ut ratio plane ſit obruta, ac ſopita; imo & judice Barbeyracio ſi nimius vini uſus ſatis magnam vim habeat ad efficiendum, ut quis promittat, aut pactum ineat, in quod ſobrius non conſenſiſſet,

ſiſſet, nulla habenda eſt promiſſio; idque repetit ille ex plena, qua pollemus libertate pacti alicujus ineundi, vel ſecus. Sane qui cum ebrio paciſcitur, aut ipſe ſobrius ſcivit alium eſſe ebrium, vel & ipſe quoque erat ebrius: ſi prius, ipſe in dolo fuit, praecipue ſi ebrietatem captivavit ad extorquendam promiſſionem, ideoque ex ſua improbitate commodum capere non debet; ſin poſterius, neuter conſenſit, ut idcirco nullum initum ſit pactum.

336. Irrita quoque ſunt pacta, quibus invincibilis error, aut ignorantia dederint cauſam, modo tamen ipſam pacti ſubſtantiam attingant, non vero ſi accidentia, quae vix in pacti naturam veniunt. Quod ſi vero accidentia illa in neceſſariam conditionem venerint, vitioſum erit pactum, deficiente conditione; veluti ſi paciſcatur mulier, *matrimonium tibi promitto, modo miles fueris*. De dolo malo ab altero paciſcentium inducto dubitari nequit, quin vitietur pactum (§. 68., 204.); at ſi tertius alteri paciſcentium, aut utrique dolum fecerit, utroque paciſcentium ignorante, ratum volunt eſſe pactum Rom. jureconſulti; at quia ubi dolus eſt, ibi deeſt conſenſus, idcirco naturali jure hoc quoque pactum irritum eſt habendum.

337. Quoniam injuſta vi metuque nemo cogi poteſt ad jus ſuum in alios transferendum; hinc pacta ſic extorta rata eſſe nequeunt. Quod ſi vero juſta fuerit vis, juſtuſque metus, nempe ex juſtis honeſtiſque cauſis orta, rata erunt pacta vi anterioris obligationis, & cauſae, propter quam juſte incuſſus fuit metus. Pacta omnia ex conſenſus defectu ab initio irrita, ratihabitione ſequuta, fiunt rata: veluti ſi ebrius, diſcuſſa crapula, rata habeat, quae in ebrietate promiſit.

338. In quovis pacto, aut promiſſo mutuo debet eſſe conſenſus (§. 326.), nempe promiſſum, & acceptatio: in pactis unilateralibus ex una parte eſt promiſſum, ex altera acceptatio; in bilateralibus utrinque & promiſſum, & acceptatio occurrit (§. 327.).

339. Alterum pactorum requiſitum eſt rei poſſibilitas: quum enim agatur de nova obligatione conſtituenda, aut tollenda, ſequitur inde, rem, de qua paciſcimur, in noſtra poteſtate eſſe debere; unde oritur regula, *impoſſibilium nulla eſt obligatio*. Si impoſſibilium cauſae ſint a natura, aliquid *phyſice* impoſſibile eſſe dicitur, *v. g.* caelum digito contingere; ſi a Lege, *moraliter* aliquid eſt impoſſibile, veluti hominem interficere. Rurſus impedimenta vel omnibus abſque diſcrimine objiciuntur, & impoſſibile *abſolute* dicetur; vel quibusdam dumtaxat, & tunc impoſſibile *reſpective* erit; veluti hebraicam ſcripturam interpretari mihi quidem, non aliis omnibus eſt impoſſibile. Si promiſſum ſit ſuper re phyſice impoſſibili, nulla oriri poteſt obligatio; & qui ſic pacti ſunt, aut inſanivisſe, aut jocari voluiſſe cenſendum eſt. Si ſuper re moraliter impoſſibili, nec ulla naſcitur obligatio: repugnat namque, Legem aliquid prohibere, & aliquem ſimul cogere ad prohibitum factum; imo ſi fiat quod promiſſum fuit, peccatur, Legem infringendo; & quum promiſſum eſt, peccatum quoque eſt. Hinc non obligatur quiſquam ad praeſtanda promiſſa, quorum praeſtatio cum alterius detrimento conjuncta eſt, quamvis & promiſſarius ſibi inferri poſtulet, urgeatque promiſſum. Neque objicere licet, volenti non fieri injuriam: velle enim non licet quae Lege fieri prohibentur. Eadem de cauſa neque ſuper rebus, aut actionibus noſtris, in

quas

quas jam alteri jus fuit quaeſitum, tertio valide promittere licet: id namque Lege vetitum juxta tritum adagium *prior tempore*, *potior jure*. Quod ſi de reſpectiva impoſſibilitate ſermo ſit, atque impedimentum ab ipſo promittente proveniat, ab obligatione haud liberat; veluti ab obligatione non liberatur debitor, qui ſponte bona ſua abligurivit: ſin a tertio, non tenetur quidem promittens, ſed tamen is, qui impedivit; *e. g.* commodatarius equi non tenetur illum reſtituere, ſi a fure ſubtractus, at fur tenetur (§. 319.). Demum qui aliena facta promittit, ad aliud non obligatur, niſi ad omnem diligentiam adhibendam, ut alius faciat, quod ipſe promiſit: hoc namque dumtaxat in ſua erat poteſtate.

340. Paciſci poſſumus *pure*, vel *ſub conditione*, item *per nos ipſos*, aut *per alios*. Conditio eſt adjectio circumſtantiae eum in finem, ut promiſſionis validitas conferatur in aliquem eventum a caſu, aut ab humano arbitrio pendentem. Conditiones vero impoſſibiles, ut poſſibiles eſſe poſſunt; poſſibiles denuo ſunt *poteſtativae*, quae ſcilicet in naturali ſunt poteſtate; vel *caſuales*, quae nonniſi a divina providentia pendent, *e. g.* dabo tibi centum, ſi autumnus pluvius non fuerit; vel demum *mixtae*, quae a divina providentia, & certo reſpectu a noſtro arbitrio pendent; *v. g.* dabo tibi centum, ſi Cajam duxeris: fieri enim poteſt, ut puella nolit tibi nubere, aut ante nuptias e vita excedat. Promiſſa pura ſtatim obligant. Promiſſa *ex die*, vel *in diem* debentur a certo tempore, vel ad certum tempus. Promiſſa ſub conditione poſſibili ſuſpenſiva non obligant, niſi exiſtente conditione. Pacta ſub conditione impoſſibili phyſica aut morali non obligant. Non impletur autem conditio impoſſibilis per cavilla-

villationem. Poſtulaverat Miltiades a Lemniis, ut ſponte ſub Athenienſium poteſtatem ſeſe redigerent; illi irridentes reſponderunt ſe tum id facturos, quum ille proficiſcens navibus domo, vento Aquilone veniſſet Lemnum: hic ventus tenet adverſum proficiſcentibus Athenis, ubi domus erat Miltiadis. Moratus deinde aliquandiu Cherſoneſi reverſus Lemnum vento Aquilone, petit ex pacto urbis deditionem, ſe autem Cherſoneſi habere domum. Cavillabatur profecto: Lemnii enim Athenas intellexerant, nec aliter eorum verba capere poterat Miltiades, qui eo tempore nuſquam niſi Athenis domum habuerat; facileque intelligere poterat, jocatos fuiſſe Lemnios, impoſſibili adjecta conditione. Corn. Nep. Miltiad. 2. Paciſci quoque poſſumus per alios generali, aut ſpeciali Mandato inſtructos: ſi prius, ratum nobis eſt habendum quidquid promittit Mandatarius, modo nullus acceſſerit dolus, vel culpa plane enormis; ſin poſterius, ratum habere tenemur, quod ille pollicitus eſt, ſi modo Mandati fines non exceſſerit. Quod ſi tertius abſque ullo Mandato mihi ſtipuletur quod ego ratum habuero, *v. g.* centum aureos; nulla eſt ratio, cur valere non debeat, quamvis hoc pactum jure civili infirmatur §. 4. Inſtit. de inut. ſtipulat.

341. Neceſſaria fuerunt pacta inter homines ad commode vivendum: nam quia officiis humanitatis, ac beneficentiae perſaepe indigemus, eaque jure perfecto nobis non debentur; per pacta nobis conſultum volumus, ut quae ex imperfecta obligatione prius nobis debebantur, ex obligatione perfecta deberi incipiant (§. 331.).

CAP.

CAP. XI.

De Contractibus generatim.

DEFINITIONES

I.

342. COntractus eſt pactum, quod circa res, & actiones in commercium venientes verſatur.

II.

343. *Commercium* eſt communicatio rerum vel operarum neceſſariarum atque utilium cum aliis earum indigis ex perfecta obligatione profecta.

III.

344. *Contractus gratuiti*, ſeu *benefici* dicuntur, qui alteri contrahentium parti gratis aliquod commodum adferunt: *onerosi*, aut *permutatorii*, quum utrique contrahentium onus imponitur. Contractus gratuiti ſunt beneficia ex parte dantis, & liberalitates ex amicitia proficiſcentes.

IV.

345. *Pretium* eſt quantitas moralis, juxta quam res invicem comparari, exaequarique poſſunt.

SCHOLION.

346. Qui contractibus commercia agitant, aequalitatem intendunt, ut nec dare velint pluſquam

quam acceperint, nec minus accipere quam dederint; earum igitur rerum, operarumve aeſtimatio prius determinetur, oportet, ut aequalia datis accipere poſſint contrahentes, in eaque aeſtimatione pretium conſiſtit. Quum vero pretium augeri minuive poſſit, in partes quoque dividi, imo & arithmetico calculo al liquidum perduci; idcirco *quantitatem* eſſe diximus. Eſt vero quantitas *moralis*: nec enim res a natura, ſed ab hominum aeſtimatione pretium accipiunt.

V.

347. *Pretium vulgare* eſt aeſtimatio rei ad rem, operamve, aut operae ad rem, vel operam.

SCHOLION.

348. Si bos *e. g.* triginta ovibus aeſtimetur; frumenti modius quatuor diurnis operis agrariis; ea aeſtimatio erit vulgare pretium.

VI.

349. *Pretium eminens* eſt communis menſura, ad quam res omnes, operaeque aeſtimari poſſunt.

VII.

350. *Numiſma* eſt metallum publica auctoritate conſignatum, pro ſigno & menſura rerum omnium operarumve, quae ſunt in commercio, adhibitum.

VIII.

VIII.

351. *Pretium affectionis* eſt, quo res pluris aeſtimatur ex ſingulari aliquo affectu.

SCHOLION.

352. Ejuſmodi pretium fere ſemper perſonale eſt, atque ex idearum aſſociatione ducit originem; veluti quum quis maximi facit donaria amicorum, aut majorum ſuorum, aut Principis ob inſignem honorem: at haec aeſtimatio a poſſeſſore in alium non transfertur; unde in contractibus habere nequit locum. Quod ſi vero communis ſit affectio ob auctorem, vel artificem, ob inſignem raritatem, aut pulchritudinem, ob antiquitatem; tunc ejus habebitur ratio in contractibus. Fictilis lucerna Epicteti magni fiebat; magni quoque fiunt nummi antiqui, icones, ſtatuae; Phidiae ſignum, elaboratior Apellis, aut Parrhaſii tabula maximi aeſtimabantur. Quandoque etiam major eſt adquirentis, quam poſſidentis affectio; veluti ſi res mea alterius rem inſigniter efficere poſſit meliorem, ac proinde is maximopere eam optet; atque haec aeſtimatio non eſt inſuper habenda.

353. Principio ante numiſmatis inventionem nonniſi commutatione rerum & operarum commercia exercebant homines ſolo contenti pretio vulgari, quod ipſi prudenti ratione rebus operiſque imponebant, quemadmodum ex veterum memoriis conſtat. In hoc pretio imponendo, attendi debet 1. an res ſint in dominio: quae enim ſunt inexhauſti uſus, pretio non aeſtimantur, veluti äer, aqua, lumen; poſſunt tamen rerum pretium intendere, *v. g.* pretioſius eſt praedium, quod habet aquam, apricumque lumen,

men . 2. an ſint in commercio : hinc pretium non habet juſtitiae adminiſtratio, ſi de jure, non de facto ſermo ſit . 3. an ad utilitatem nobis , commoditatem , voluptatem inſervire poſſint : ſecus nullius pretii habebimus. Divina providentia dirigente factum eſt , ut quae res maxime ſunt neceſſariae, vel utiles, obviae quoque ſint, facileque parabiles, ideoque viliore conſtent pretio ; enormi vero , quae ad voluptatem unice ſunt comparatae , utpote quae rariſſimae ; magnum iis impoſuit vectigal ſummus Imperator , ut ſubditorum luxuriam cohiberet . Sunt etiam cauſſae , cur certarum rerum pretium intendatur, aut remittatur. Ac I. eſt raritas: quo major enim eſt mercium copia , eo vilioris pretii habentur ; quo rariores , praecipue ſi valde ſint neceſſariae , eo cariores . Vidit hoc exemplum Ægyptus in ſeptennali illa ſterilitate, Geneſ. cap. 47. Praeterea ubi creſcit utentium numerus, rerumque uſus ; augetur indigentia , hinc & pretium : ubi vero utentium numerus , uſuſve minuitur ; decreſcit neceſſitas . quare & pretium ; ut idcirco dicere poſſis , pretium ſequi rationem compoſitam numeri utentium , uſuſque conjunctim directam , copiae vero utibilium rerum inverſam . 2. quae ex valde remotis regionibus ad nos deferuntur ; veluti aromata . 3. quae magno ſtant labore , aut periculo ; *e.* g. merces ex diſſitis locis tempore belli advectae , vel piratis maria infeſtantibus . 4. quae res a natura , vel arte ſingulare aliquid acceperunt . 5. quae res commune affectionis pretium admittunt , vel ſaltem adquirentis reſpectu , quum poſſeſſor haud facile eam fuiſſet alienaturus . 6. Augetur quoque rerum pretium ob quaerentium copiam : nam quae a paucis quaeruntur, viliſcunt.

354. Quum vero vulgare pretium haud levia in-

incommoda praeſeferre compertum eſſet, tum quod res in diſſita loca commode transferri non poſſent, nec in itinere bene cuſtodiri, tum quod permutantium uſibus ſaepe parum aptae viderentur, tum praecipue quod perdifficile eſſet perfectam aequalitatem obtinere; placuit eminens conſtituere pretium, quod ceterarum rerum pretia vulgaria virtute contineret.

355. Antiquiſſimi mortalium pro numiſmate pecudibus utebantur; unde & pecuniae, & peculii, & peculatus vocabula traxere originem; & vetuſtiſſimi nummi alicujus pecoris, veluti bovis, agni, ſuis figura erant obſignati; poſtea aes, argentum, aurum adhiberi coeptum, ſed rude, ac infectum, quod adpendebant, non vero enumerabant; hinc venditiones, & emancipationes Romae libra, ac libripende perficiebantur, indeque talentum, pondo, libra habuere nomen. Ceterum fuiſſe pervetuſtum nummorum uſum evincit factum Abrahami, qui agrum cum ſpelunca pecunia emit ab Ephron, *appenditque quadrigentos ſiclos argenti* probatae monetae publicae Geneſ. XXII. 16.; Joſeph quoque a fratribus venditus negotiatoribus Madianitis 20. argenteis Geneſ. XXXVII. 28.; & Jacobi filii pecunia inſtructi ibant in Ægyptum ad emendum frumentum Geneſ. XLII. 25. Probabile eſt, nummorum uſum caepiſſe apud Phoenicios gentem nauticam, & commercio addictam; id autem non aliter niſi pacto inter ſe inito fieri potuiſſe omni caret dubio; eorum vero conſuetudinem mox imitatae ſunt gentes aliae orientales, deinde occidentales. Tandem res nummaria paullatim eo redacta eſt, ut numiſmata certum haberent pondus, figuram, & characterem, ut ſtatim dignoſci poſſet, quantus eſſet eorum valor.

356. Nec defuit ratio, cur metalla pretioſiora

prae aliis materiis fuerint adhibita. Nimirum ratio gentes docuit, eminens pretium 1. inſtrui debere virtuali pretio; ne ab aliis adſpernaretur: quum enim nummus vice univerſalis fidejuſſoris pro cunctis mercibus fungi debeat, fidejuſſorem vero locupletem eſſe oporteat, ut ab omnibus recipiatur; hinc eae eligi debuere materiae, quae apud omnes in pretio eſſent. 2. nec nimis rarum eſſe debere, ut commerciis poſſit ſufficere; nec nimis obvium; ne virtuali pretio deſtituatur: quis enim pro terrae, aut arenae manipulo *e. g.* rem ſuam fuiſſet permutaturus? 3. compactioris ſubſtantiae; ne facile uſu atteratur. 4. in quotcumque partes haud aegre diviſibile, ut quibuſvis mercibus poſſet exaequari. 5. non nimiae molis, ut facile poſſet cuſtodiri, ac quolibet aſportari. Hinc auro inter nobiliora metalla conceſſus eſt principatus non modo ob ſui infrequentiam, ſed & quia prae ceteris ductile, hinc & in minutiores particulas ſectile, tum quia minus uſu deteritur, minus rubiginem ſentit, atque igne probatum, nihil ejus deperit (Phyſ. Part. §. 142.). Jam haec conjunctim requiſita in nullam aliam cadunt materiam, quam in pretioſiora metalla; hinc pleriſque gentibus cultioribus viſum eſt ex iis numiſmata conflare. Quod ſi viliores aliae materiae, quandoque fuerunt adhibitae, veluti corium, papirus; id vel apud unam aliquam gentem obtinuit, vel in publica aliqua calamitate, pecuniaeque inopia factum eſt, eoque conſilio, ut ſymbolica illa pecunia loco teſſerarum eſſet, vel chirographorum, quibus exhibitis poſt elapſam calamitatem, cives veram pecuniam reciperent.

357. Summi imperii eſt numiſmatis valorem ſancire; at non ad arbitrium, & ex libidine. Prius

Prius namque nummi valor *intrinſecus* ex pondere, qualitate, ac probitate metalli eſt attendendus; atque hic nonniſi gentium conſenſu ſtatuitur, in eumque nihil habet auctoritatis lex ulla civilis: deinde juxta illam aeſtimationem *extrinſecus* valor, ſeu *numerarius* imponi debet. Finge, quod manente priſtino pondere, extrinſecus noſtri nummi valor imminuatur; vicinae gentes ſtatim illum ad ſe trahent, & in noſtra Rep. illico deficiet. Finge, manente primo pondere, extrinſecum intendi valorem; ſtatim res omnes aucto pretio inter nos venibunt, exteraeque gentes nobiſcum commercia agitare nolent.

358. In definiendo mercium pretio eminente, metallorum quoque frequentia, aut raritas eſt attendenda. Quum ſit enim nummus pretii aliarum rerum menſura; ubi exigua ſit auri, argentique copia, haecque debeat merces omnes menſurare; liquet, exigua nummorum quantitate magnam mercium molem aeſtimari. Hinc binis abhinc ſeculis poſtquam maxima auri argentique vis in Europam eſt invecta, decrevit nummi pretium, crevit vero mercium, quae hodiedum decuplo & amplius carius veneunt. Hinc & unius metalli ratio ad aliud pro temporum diverſitate varia eſſe ſolet: ratio argenti ad aurum fuit aliquando ut 1 : 10, alias ut 1 : 12, alias ut 1 : 13; modo publica Europae nationum voce definitur ut 1 : 16 fere.

CAP. XII.

De contractibus beneficis. Commodatum, & Precarium.

DEFINITIONES.

I.

359. Commodatum eſt contractus beneficus, quo res ad praefinitum uſum, & tempus gratis conceditur ea lege, ut eo finito, eadem in *ſpecie*, *h. e.* individuo reſtituatur. Qui dat rei uſum, *commodans*; qui recipit, *Commodatarius* nominatur.

II.

360. *Precarium* eſt contractus, quo rei uſus gratis conceditur ad nutum revocabilis.

SCHOLION.

361. Huic contractui *Precarii* nomen eſt inditum, quia qui recipit, quaſi jugiter precatur, ut rei uſum retinere valeat. Naturae jure vix a Commodato differt.

COROLLARIUM.

362. Quoniam in Precario, & Commodato ſolus rei uſus conceditur; praeſtitae rei dominium eſt penes mutuantem.

363. Ad Commodati eſſentiam pertinet, ut commodans rem utendam tradat Commodatario, nul-

nulla mercede, nullo foenore, nullo pretio; necnon ut finito uſus tempore eadem numero res domino reſtituatur. Otioſa igitur quaeſtio eſt, num commodatum a ſolo contrahentium conſenſu, an a rei traditione ſuam capiat ſubſtantiam. Conſenſus namque ſine rei traditione pactum eſt de commodando, non vero commodatum; ac ſolum rei dominum obligat ad rei traditionem (§. 325.), nullam vero reſtituendi obligationem parit in eo, cui rei uſus fuit promiſſus.

364. Utriuſque contrahentis officia ex ipſa contractus natura nullo negotio eruuntur. Ex parte commodantis: ut rem commodatam ante praefinitum tempus ne revocet; id enim pactus eſt; modo tamen rei ſuae vehementer non indigeat, quum haec conditio ſemper tacite appoſita intelligatur: ut damna omnia, quae ſua culpa aut dolo commodatario obvenerunt, reſarciat; veluti ſi vitioſas aedes, vitioſum equum, aut currum commodaverit, nec commodatarium monuerit; beneficia namque non ſunt dicenda, ſed vera maleficia, quae nocendi animo, vel ſaltem cum periculo praeſtantur: ut impenſas neceſſarias immodicas in rem commodatam a commodatario factas refundat; ſecus gratuita praeſtatio non erit; non vero leves, & ordinarias, quas repetere inurbanum eſſet. Immodicas impenſas eas appello, quae ipſam locationis mercedem excederent, veluti ad commodati equi aegrotantis curationem: leves autem & ordinarias eas eſſe ajo, quae pro rei commodatae conſervatione faciendae occurrunt, veluti ad commodati equi pabulum. Commodatarii contra officia ſunt. 1. Non licet ei rem commodato acceptam in alios uſus convertere, quam in quos dominus eam conceſſit; ſecus uſus furtum faciet. 2. rem ſollicite conſervare debet; quare

ſi ſua culpa vel leviſſima vitium acceperit res, vel perierit, pro ratione damni ad ſatisfaciendum erit obſtrictus. An etiam ad caſum fortuitum tenetur? Affirmat Grotius lib. II. de J. B. & P. cap. 12. §. 13., & Puffendorfius lib. V. de J. N. & G. cap. 4. §. 6. Grotii principium eſt, neminem ex beneficio debere damnum ſentire; commodatarius autem quum & rem alienam, & utilitatem commodumque inde capiat, aequum quoque eſſe videtur, ut damnum ferat; modo tamen res apud dominum non fuiſſet peritura; hoc enim caſu nihil per commodatum domino abeſt. Ad diſcrepat ſenſus optimorum communis: nemo enim caſum praeſtat, eumque ſolus fert dominus. Deinde rem commodatam in individuo reſtituere tenetur commodatarius; id vero impoſſibile omnino factum, divina dirigente providentia, & ad impoſſibile nemo poteſt eſſe obligatus. Nec ad rem facit, quod ex re aliena utilitatem capit commodatarius: ſiquidem id fit, volente domino, & quidem gratis. Nec obſtat, in hoc contractu perſonam, non vero rem eſſe obligatam; obligatur namque ad eamdem numero rem reſtituendam; illa vero amplius non extat. Quod ſi vero in mora fuerit reſtituendi commodatarius, vel in caſu incendii aliuſve infortunii rei ſuae conſervationem rei commodatae praetulerit, non erit omnis culpae expers, ac proinde ad ſatisfactionem obligabitur. 3. finito uſus tempore, eamdem rem in individuo, quamvis nemine interpellante, reſtituere tenetur: hac enim conditione eam accepit.

SCHO-

SCHOLION I.

365. In contractibus, quae in ſolam accipientis utilitatem vergunt, omnem hic praeſtabit culpam; in iis vero, qui utriuſque contrahentis utilitatem reſpiciunt, culpam latam, levemque dumtaxat eſſe praeſtandam ſtatuunt civiles Leges, naturali aequitate annuente.

SCHOLION II.

366. In beneficis contractibus non omnimoda ſpectanda eſt aequalitas, ut in commutatoriis; officia ſiquidem humanitatis ac beneficentiae compenſationem non requirunt, ſed gratitudinem; aliquam vero ſpectandam eſſe aequalitatem explorati juris eſt, non quidem ex ipſius contractus natura, at ex poſt facto, vel per accidens. Commodans *v. g.* non obligatur ex ipſa commodati natura; ſed ex immodicis commodatarii impenſis, damniſque (§. 364.); mandans mandatarii expenſas reſarcire tenetur, quippe cui praeſtanda ſit indemnitas; & huc quadrat Grotianum principium, neminem debere ex beneficio damnum ſentire.

DEPOSITUM

DEFINITIONES.

I.

367. *Depoſitum* eſt contractus beneficus, quo res alicui gratis cuſtodienda traditur, ea lege ut ad deponentis arbitrium in eadem ſpecie reſtituatur. Qui rem tradit cuſtodiendam, *deponens*; qui ejus ſuſcipit cuſtodiam, *depoſitarius* nominatur.

 II.

II.

368. *Depoſitum miſerabile* eſt, quod in aliquo infortunio, *e. g.* incendii, terraemotus, inundationis, naufragii inſtituitur.

SCHOLION.

369. Nullus eſt contractus, quem ſanctiorem habuere veteres, quia deponens ſummam in depoſitarii fide, amicitia, ac diligentia fiduciam collocat; eſtque amicitia res quaedam ſacra, ac prope divina; hinc & Juvenalis *ſacrum* vocat depoſitum ſat. XIII. Quumque inhumanum, ac ſceleſtiſſimum ſit, amicum ab amico amicitiae obtentu falli; hinc diris omnibus devorerunt veteres eum, qui depoſitum, in primis miſerabile, abnegare ſit auſus. Hac de cauſa univerſam Glauci familiam idcirco periiſſe referunt, quod negare depoſitum dumtaxat cogitarit.

Spartano cuidam reſponſit Pythia vates:
Haud impunitum quondam fore, quod dubitaret
Depoſitum retinere . . . .
Reddit ergo metu, non moribus; & tamen omnem
Vocem adyti dignam templo, veramque probavit:
Extinctus tota pariter cum prole, domoque

370. Ex ipſa contractus natura deponentis, ac depoſitarii officia facile eruuntur. Illius nempe officium eſt reparare damnum ſua culpa vel dolo huic illatum, veluti ſi rem peſtiferam cuſtodiendam tradiderit; impenſaſque in rem depoſitam factas reſarcire (§. 366.). Depoſitarii officia

ſunt

ſunt 1. ut rem depoſitam accurate cuſtodiat, & ubi culpa ſua perierit, ejus aeſtimationem praeſtabit. Majori tamen cura depoſitam rem, quam ſuaſmet res, cuſtodire non tenetur. Quod ſi parum diligens ſit depoſitarius, imputet ſibi deponens, quod homini diſſoluto rem ſuam credidit. Quid ſi in eam neceſſitatem inciderit depoſitarius, ut ei aut ſua res, aut depoſita ſit pereunda? Nempe quum nemo alium magis quam ſeipſum diligere teneatur; ſi tantumdem interſit depoſitarii ſervari rem ſuam, quam intereſt alterius ſervari rem depoſitam, non eſt cur ſuam potius, quam alienam perire malit: quod ſi pretioſiſſima ſit res depoſita, ex eaque omnes pendeant deponentis fortunae; aequum fuerit, ut eam prae ſua ſervet, ita tamen ut deponens damnum omne in ſui gratiam devoratum depoſitario reſarciat. 2. ut ne depoſitum involucris aut vinculis exuat; neve ſine domini conſenſu ſaltem praeſumto in ſuos uſus adhibeat. 3. ut rem depoſitam domino quum libuerit repoſcenti eadem in ſpecie reſtituat, niſi tamen aliud exigat recta ratio; veluti ſi deponens in ſui, alteriuſve perniciem poſcat, *e. g.* ſi furioſus; vel ſi depoſitam rem furtivam eſſe conſtiterit: tunc enim domino legitimo eſt reſtituenda; ſi omnia ejus bona Fiſco fuerint addicta: tunc quippe Fiſco facienda eſt reſtitutio. Caſum fortuitum praeſtare non tenetur, niſi fuerit ex ejus culpa, vel mora, aut eum ultro in ſe ſuſceperit.

371. Inter miſerabilia depoſita illud referendum, quo quis ſe, aut ſuos alterius fidei concredit; & *jus hoſpitii* vocatur, quod veteres ſub Jovis hoſpitalis numine eſſe ajebant. Qui eum prodit, quem hoſpitii fide excepit, proditor habendus eſt atrociſſimus. Quid ſi hoſpes criminoſus? Licebit & hunc tegere, depoſitoque habe-

habere, niſi vetent Leges, nec aliud poſtulet Rei p. ſalus, quae ſuprema Lex eſſe debet.

MANDATUM, NEGOTIORUM GESTIO

DEFINITIONES.

I.

372. *Mandatum* eſt contractus beneficus, quo alterum perfecte obligamus ad negotia noſtra, quae ipſi commiſimus, gratis, & diligenter expedienda. Qui negotium committit, *mandans*: is cui committitur, *mandatarius* vocatur.

II.

373. *Negotiorum geſtio* eſt quaſi contractus beneficus, quo quis alienum negotium ſine domini mandato in ejus utilitatem ſponte & gratis ſuſcipit expediendum; & *negotiorum geſtor* nominatur.

SCHOLION.

374. Domini conſenſus mere praeſumitur; idcirco *quaſi contractum* eſſe diximus.

375. Mandantis, ejuſque cujus negotia alter gerit, officium eſt impenſas neceſſarias, & utiles reſtituere; ſimulque damna, quae mandatarius & negotiorum geſtor ſine ſua culpa propter negotium ſenſit, reſarcire (§. 366.); non vero, ſi quae ſenſit, damna occaſione negotii, veluti ſi dum mandatum expedit, a latronibus ſpoliatus, vel morbo aliquo correptus fuerit: quod enim eſt a divina providentia, in mandantis rationes referri nequit. Mandatarii offi-

cia

cia ſunt 1. ut mandati fines ne tranſiliat, ubi certis limitibus a mandante eſt circumſcriptum: quod ſi ejus arbitrio commiſſa ſint omnia, dolum dumtaxat, & culpam praeſtabit mandatarius, ac negotiorum geſtor. 2. ut in gerendo negotio debita diligentia adhibeatur. 3. ut rationes adminiſtrationis, aut geſtionis reddantur ei, cujus expedita, aut geſta ſunt negotia. Solam culpam latam praeſtabit mandatarius, ac negotiorum geſtor (365.).

MUTUUM

DEFINITIONES.

I.

376. *Mutuum* eſt contractus beneficus, quo rem fungibilem alteri damus ea lege, ut tantumdem in eodem genere poſtea reſtituatur. *Mutuans* eſt qui dat; *mutuatarius*, qui mutuo accipit; ille *Creditor*, iſte *debitor* appellatur.

SCHOLION.

377. Fungibiles res conſtare debent numero, pondere, aut menſura: ſecus neſciemus, an functionem admittant, nempe una earum vice alterius fungi poſſit. 2. Solutionem recipiunt per functionem tam in ſpecie, quam in genere; vel clarius tam in individuo, quam in ſpecie. 3. pretium affectionis non admittunt. 4. uſus abuſui conjungitur.

II.

II.

378. Reddere in eodem genere eſt tantumdem reſtituere tum ratione quantitatis, tum qualitatis.

III.

379. *Uſura*, vel *foenus* eſt quidquid pro uſu rei fungibilis, in primis pecuniae, datur, ſive ſit pecunia, ſive quid aliud.

IV.

380. *Anatociſmus* eſt pactum, ut uſurae convertantur in ſortem, & debeantur uſurae uſurarum.

381. An mutuo transferatur dominium, acriter diſceptatum eſt inter Salmaſium, aliosque. Illud quidem certum eſt, rerum, quae mutuo dantur, uſum in abuſu conſiſtere, ut proinde debitor pleniſſimo jure gaudere debeat de re accepta ad ſui libitum diſponendi, in quo prorſus dominii ratio poſita eſt (§. 264.); ut idcirco creditor nonniſi perſonali actione adverſus debitorem uti queat. Illud quoque prorſus eſt indubium, mutuo dari a creditore ſuam rem ea lege, ut idem in genere recipiat; ideoque nec illius patrimonium detrimenti aliquid, neque patrimonium iſtius quidquam auctarii ſubiiſſe cenſetur, imo hic alieno aere gravatum ſe credit; quare & illud quoque verum eſt; quantitatem non alienari a creditore, quippe quam ſibi ſalvam eſſe cavet, quamvis ſpeciei dominium, ac periculum in debitorem tranſit.

382. Mutui contractus beneficus eſt (§. 376.), non ſecus ac commodati, depoſiti, mandati contractus eſſe diximus; non enim vendi poſſunt bene-

beneficia : at quemadmodum iſti in alios oneroſos converti poſſunt , quin juſtitia laedatur ; ita & de mutuo quaeſitum eſt , an in aliud contractuum genus evadere poſſit , ut uſuras ex eo exigere liceat . Grotius lib. II. de I. B. & P. cap. 12. §. 20. , uſuras jure divino vetitas eſſe cenſet Chriſtianis ad majora virtutum ſpecimina vocatis : verum de divino jure videant noſtri Theologi ; nos de jure naturali quaerimus ; neque id prohibet uſurarum acerrimus hoſtis, & oſor Daniel Concina , qui ſub hoc aſpectu *rem diſputabilem , quaeſtionem haud facile damnabilem* eſſe ſcribit .

383. Qua quidem ſuper re duo omnino certa ſunt habenda . Primum illud eſt , non licere mutuum indigentibus negare , neque ab iis vel minimas uſuras repoſcere ; quippe inhumanum eſſet ; imo in eorum gratiam contenti eſſe debemus ſortem quoque ſacrificare (§. 276.) . Hoc nomine laudatur a Procopio Germanus , qui pecunias omnibus opus habentibus magnas dabat utendas ; uſuram nunquam ab ipſis ſumebat . Alterum eſt , immodicis uſuris juſtitiam violari , ut proinde illas a nemine ſumere liceat . Verum haud raro contingit ut qui mutuo petit , non indigeat ; aut non a natura , ſed a cupiditate indigeat ad ſua commoda augenda : atque intra hos cancellos , me judice , contineri debere de uſuris quaeſtionem autumo . Pro juſtis , injuſtiſque uſuris ſtant juris naturae conſulti ; utriuſque partis argumenta proferre juvat .

384. Nihil in contractibus tam a natura commendatur , quam aequalitas ; haec vero per modicas uſuras obtinetur , quippe quae non modica mutuantis incommoda penſare valebunt . Sane hic , donec duret mutuum , rei ſuae uſum facere nequit ; dominium ſpeciei aliquamdiu amittit ;

tit ; rei loco , actione mere perſonali contentus eſſe debet , haec vero non ſine multis incommodis inſtituitur ; haud pauci evenire poſſunt caſus , ut ſors ei pereat ; debitorem ſaepe ſuum ambitioſe colere debet , ut ſortem recipiat , praecipue ſi ille gratia & auctoritate valeat . Refert Plutarchus in opere *de vitando aere alieno*, Perſarum fuiſſe opinionem , primum inter peccata aſſignandum eſſe locum aeri alieno , ſecundum mendacio , quia ſaepe contingit , ut debitores mentiantur . Expertus ſum & ego , pecuniam mutuo gratuito a me datam mali mihi ominis rem fuiſſe , meaque beneficia fere ſemper male mihi ceſſiſſe ; ſortis aut ex toto , aut ex parte jacturam facere coactus fui ; longam temporis moram pati ſemper accidit ; ſortemque minutatim exigere ; debitores ſaepe meos adire , eoſdemque colere debui , quandoque etiam cum adhibita adulatione , attamen fruſtra . Quid facerem ? forum adirem ? chirographum accuſarem ? At verebar , ne ultra ſortem expenſas & amicum perderem ; ideoque mihi fuit adquieſcendum . Mutuumne negaſſem ? Non ferebat animus .

385. Debitori contra diviti multa ex re accepta obvenient , vel ſaltem obvenire poterunt commoda , *e. g.* fundum emet , caſuram inſtaurabit domum , filiam bonis conditionibus nuptui tradet , aliaque ſexcenta ; ſummaeque impudentiae eſſe videtur , ut qui ab uſu rei meae quemcumque alium excludere poteram , ab omni lucro modo excludar , quod alius occaſione ejuſdem rei percipit , quodque non percepiſſet , niſi ego rem meam , ejuſque uſum eidem conceſſiſſem . Sane omne mutuum id ſecum fert , ut nonniſi poſt temporis intervallum ſit reſtituendum ; idque debitori eſt commodiſſimum , adprimeque , utile

utile, ideoque pretio aeſtimabile (§. 353.): veluti ſi frumentum, oleum, vinum mutuo acceperit, quae poſt intervalla ſint reſtituenda, interea temporis non erit ei neceſſum res ſuas iniqua conditione permutare, aut vendere, ſuamque pecuniam in alia ſibi commoda comparanda impendet. Finge jamvero licitas eſſe uſuras, incommoda commodis penſabuntur, & obtinebitur ita aequalitas: finge illicitas; una pars totum feret commodum, altera omne incommodum, evaneſcetque aequalitas. Praeterea data diviti homini opportunitate inſignis alicujus commodi adquirendi, aut mali evitandi, quo ille ſe vertet, ubi praeſens deeſt pecunia? promta atque expedita via eſt, pecunias ſub uſurarum lege ab alio ſumere; idque apocha, aut chirographo, quo cavebit creditori, ſtatim facileque obtinebit. Si hoc non liceat, unica ſupereſt via, ut ad contractus cenſuales confugiat: interim quot producendae ſunt chartae? quot praeſtandae ſunt cautiones? quantum laboris, atque impenſarum eſt tolerandum? quot conſulendi ſunt juris periti? Verum poſt haec omnia quale erit conſectarium? Nempe pro ſingulis acceptis centenis quatuor ſolvet quotannis centeſimas. Atvero tantumdem erant ſolvendae uſurae, innumeraque incommoda atque impendia fuiſſent devitata: natura igitur incommodiſſimos permitteret contractus, valdeque commodos vetaret; credat Judaeus Apella. Accedit, quod multo eo tempore fugiet opportunitas, ruinoſa domus collabetur, aliaque ſubſequentur incommoda. Demum ita ſe res habet in locupletibus, ut modo pecunia egeant, mox eadem abundent, nomenque velint expungere: in uſurario contractu id efficitur nullo negotio, ſoloque reſtituto chirographo; in cenſuario contractu adeundi ſunt denuo

nuo tabelliones, delendae ſunt veteres tabulae novis conditis tabulis, nova devoranda ſunt impendia. Oh optabiles uſurae! clamaret debitor. At quali nomine hunc contractum inſigniemus? Nempe quo libuerit, excepto tamen mutui nomine, in quo inviſae ſunt uſurae, ſive pauperi detur miſericordiae titulo, ſive diviti ex urbanitatis cauſa: contractus innominati, *do ut des*, nomen bene conveniret; atque hujuſmodi contractus nullo naturae decreto vetatur.

336. Quovis uſurario contractu aequalitatem laedi, proinde violari juſtitiam ajunt alii. Nam in re quavis fungibili, cujus uſus in abuſu conſiſtit, non aliud eſt uſus aliud vero res, quum ſit uſus ipſa rei conſumptio, ut idcirco ille ſeorſim ab iſta aeſtimari nequeat; atvero non eſt aliud uſura, niſi uſus aeſtimatio; igitur injuſta; non ſecus ac qui vinum, aut frumentum vendere, atque eorum uſum ſeorſim vellet vendere, eamdem res bis, vel id quod non eſt, venderet, injuſtuſque eſſet. Hoc argumentum magni fecit Grotius loc. laud., atque pro ejuſmodi rei uſu nihil exigi poſſe fatetur: at jus reſtituendi rem acceptam poſt temporis intervallum eſſe aliquid pretio aeſtimabile ait, ideoque eo tempore, quo jus eſt penes debitorem, aliquid a creditore juſte poſſe exigi. Nam ut *plus petit, qui ante tempus petit* §. 33. Inſt. de action., ita minus ſolvit, qui poſt tempus ſolvit. Hinc civili jure introductus fuit quaſi uſusfructus rerum fungibilium, qui & legari poteſt, nominatim pecuniae uſusfructus (L. 1. & 11. ff. de uſufr. rer. quae uſu conſum.), ita tamen ut legatarius ad praeſcriptam diem idem genus vel pretium reddere debeat: interim quia uſufructuarius non niſi finito tempore reſtituere tenetur, intereaque re utitur; hoc ipſum pretio aeſtimabile eſt

adeout

adeout ſi legatarius jus hoc ſuum proprietario cederet, pecuniam eo nomine poſſet exigere. Haec Grotius. Quod vero dicunt alii, uſuram in mutuo tenere locum mercedis in contractu locationis conductionis, nihil habet ſolidi: nam locatio conductio obtinet in iis, quorum uſus in abuſu non conſiſtit, ut proinde ſit a re ſeparabilis, reique dominium aeque ac periculum ſit penes ipſum dominum.

387. Uſurarum injuſtitiam derivant alii ex eo quod rei fungibilis dominium in mutuatarium transferatur, proinde foenerator ex re non ſua fructum capit. 2. ex eo quod pecunia ſit ſterilis; ac ſi aliquis colligitur ex ea fructus, mere eſt induſtrialis, ad eum pertinens, qui induſtriam facit (§. 387. 320.). 3. quia juxta Ariſtotelem uſura eſt contra naturam nummi, qui ad permutandum conſtitutus eſt, non vero ad foenerandum. 4. quia quum periculum ſit accipientis, ejus quoque commodum ſit oportet.

388. Primo argumento reſpondet Henricus de Coccei, non eſſe alienum aes, ſed noſtrum, quod nobis debetur L. 213. §. 1. ff. de verb. ſign. Verum tanti viri pace quaeſo, ut reſpondeat, preſſe; rei mutuatae dominium eſt ne penes debitorem, an Creditorem? eaque ſi perit cui perit? Neque ex citata Lege quidquam capit emolumenti: ſiquidem *noſtrum* dicitur aut proprie quod in noſtro eſt dominio, aut *minus proprie*, quia jus habemus in perſonam, ut haec rem nobis reddat, efficiatque noſtram: altero hoc ſenſu mutuata res noſtra eſſe dicitur (§. 381.). Reſpondet Salmaſius, Scipio Maffejus cum aliis, quantitatis dominium eſſe penes creditorem. At quantitas in genere conſiſtit; eſt autem genus abſtracta idea, nec ullum exiſtit univerſale in rerum natura (Log. §. 30.); eſt itaque credi-

tor nihili dominus! Quare ajunt alii, creditorem ex ſuo ſervitio debitori praeſtito, ex ſuique incommodo fructum juſte ſumere (§. 384. 385.).

389. Alterum argumentum nihili facit Grotius: nam & res alias natura infoecundas hominum induſtria facit foecundiſſimas. Neque neceſſe eſt, rem *phyſice* eſſe foecundam; ſufficit quippe *moralis* foecunditas: ſecus enim ex ſolis plantis, ac ſeminibus liceret fructus colligere; atque altero hoc ſenſu non modo foecunda eſt pecunia, ſed & omnis foecunditatis origo. Neque ad rem facit, quod induſtriales fructus induſtrio homini cedere debeant; nihil enim prodeſſet induſtria, ubi induſtriae ſubjectum, nempe res, deficeret: aequum igitur eſſe videtur, ut induſtriae domino, necnon ei, qui induſtriae fundamentum poſuit, fructus accreſcat, ubi ita fuit conventum. At res, & induſtria pertinent ad debitorem, inquies. Recte quidem: attamen creditoris jure effectum eſt, ut ſua res in debitoris dominium deveniret multiplici cum ſui incommodo, multiſque debitoris commodis, induſtriaeque ſubſtratum ſtruxit. At quaenam ſunt creditoris incommoda, ubi ſuam pecuniam otioſam ſervaſſet? Nempe ea omnia, quae §. 384. enumeravimus. Deinde quis dixerit, creditoris pecuniam otioſam eſſe futuram, quum ille ita fuerit animo comparatus, ut opportunitatem aucuparet, qua ſuam pecuniam fructuoſam efficeret?

390. Tertio argumento reſpondet laudatus Cocceiius, quod ſicut nummus, ita omnis ejus uſus ab hominum, gentiumque inſtituto, non vero a natura pendet; eſtque jus illud gentium non decretorium, ſed mere permiſſivum; nec eodem jure ille uſus ad permutationes fuit reſtrictus, ſed domino integrum eſt ſicuti aliis rebus, ita & nummis, prout lubet, utendi. Sic naturalis fru-

frumenti uſus eſt ut edatur, vini ut bibatur; utrumque tamen vendi, ac permutari poteſt. Neque Ariſtotelis auctoritas quidquam ad rem facit; ille lib. 1. Polit. cap. 9. diſtingnit ea quae ſunt ſecundum naturam, alia παρα φυσιν; quae verba tum *contra naturam*, tum *extra naturam* verti poſſunt: dat exemplum in calceamentis, quibus uti poſſumus ad calceandum, atque ad permutandum, aut ad pecuniam comparandam; primum eum uſum ſecundum naturam, alterum παρα φυσιν eſſe ait, nempe extra, non vero contra naturam, ut patet.

391. Ultimo argumento haec adhiberi ſolet reſponſio. Qui rei fungibilis vult uſum ſibi concedi, ea quoque velle debet, quae ex eo uſu neceſſario conſequuntur, proinde ut ejuſdem rei dominium in ſemet transferatur (§. 381.), ideoque & periculum; at non idcirco integrum debet eſſe ſuum emolumentum, ubi adeſt ratio ſufficiens, ut alius quoque ejuſdem ſit particeps; ſufficientes vero eas rationes reperire eſt §. 384., 385., & 389. Qui ſic accipit res alienas, ut uſuras rependat, veluti ſpem ſibi emit; eſtque haec pretio aeſtimabilis. Ceterum & hoc debitoris periculum creditoris periculo (§. 384.) penſabitur. Atque haec hactenus pro elementorum modo quoad Naturae jus attinet; neque judicium proferre auſus doctorum judicio totus me ſubmitto. De jure divino atque humano diſputare noſtrum non eſt; interim venerandas SS. Patrum auctoritates, ſacrorum canonum, ſanctaque civilium Legum ſtatuta pronus venerari, ac ſuſcipere profiteor; neque ſemidoctis obloquendi materiam vel minimum praebuiſſe reor.

392. Circa mutuum etiam operoſe diſquiritur, ſi in nummo contigerit mutatio medio illo tempore, quod contractum inter ac reſtitutionem

interjicitur, ſitne reſpiciendus nummi valor tempore initi contractus, an vero tempore ſolutionis. Si intrinſecus nummi valor mutationem ſubierit, viſum pleriſque fuit, reducendum eſſe nummum ad eam bonitatem, quae fuit tempore mutui contracti: ſecus non fieret ejuſdem quantitatis reſtitutio; veluti ſi ducatos 100. dederim mutuo, ducatiſque recens percuſſis quarta argenti pars demta fuerit, 125. ſolvendi mihi erunt, ſiquidem in eadem moneta fiat reſtitutio: viciſſim ſi 100. dederim dimidia ſui parte ſtanno conſtantes, ubi poſtea, mixtura illa proſcripta, ſtanni loco argentum fuerit ſubſtitutum, pro 100. ſatisfactum mihi erit, ſi 50. recipiam. Nam licet ſummi Imperii ſit externum nummorum valorem definire; quia tamen exterorum etiam, quibuſcum commercia agitamus, habenda eſt ratio (§. 357.), idcirco ne mihi detrimentum contingat, neve fiam cum aliena jactura locupletior, tantumdem mihi erit reſtituendum ejuſdem quantitatis, & qualitatis, quantum dederim (§. 378.): ſic pro ea merce, quam ab exteris prius emiſſem ducatis 100.; modo, quum quarta argenti pars eſt ademta, 125. erunt ſolvendi. Quod ſi vero manente eodem intrinſeco valore, extrinſecus immutetur, inſpiciendum erit, an dati fuerint nummi ea lege, ut totidem in eadem ſpecie reſtituantur, an ad modum vulgaris & currentis monetae. Priori caſu totidem corpora procul dubio erunt reſtituenda. Altero caſu conſiderandus erit valor tempore initi contractus, adeout valoris incrementum, aut decrementum in lucrum, aut damnum debitoris cedere debeat: veluti ſi alicui mutuo dederim 100. ducatos in ſpecie, quorum valor tunc erat 10. carolenorum, poſtea ad valorem 12. carolenorum aſcenderit, fiatque ſolutio in ca-

carolenis, ſatisfactum mihi erit per ſolutionem carolenorum 1000.; ſi vero ſolutio fiat in ducatis, ſolutis ducatis 83 $\frac{1}{3}$ mihi ſatisfiet, quae haec ſumma carolenos 1000. adaequat; quod ſi valor ad carolenos 8. deſcenderit, ducati 125. erunt mihi ſolvendi, quum ea ſumma carolenis 1000. ſit aequalis. Adeatur Puffendorfius lib. V. de I. N. & G. cap. 7. §. 6. & 7.

393. Liquet ex dictis, officium eſſe debitoris tantumdem reſtituere non modo ratione quantitatis, ſed & qualitatis (§. 381.), ac ſi pecunia fuerit credita, ejuſque valor poſtea immutatus, obſervare ea omnia, quae (§. 392.) diximus. Praeterea non debet eſſe in mora ſolvendi, neque a reddendi obligatione liberatur ob acceptae rei interitum, vel ob fortuitum quemlibet caſum.

394. Diſputari ſolet de juſtitia ejus contractus qui *Mohatra* dicitur: is fit, quum pro pecunia mutua, quam alter petit, venditur petenti merces credita pecunia hac lege, ut qui mercem accepit, eamdem venditori mox retrovendere debeat minori pretio, attamen non injuſto, ut numeratam pecuniam accipiat. Liquet, verbo tenus fieri mercis venditionem, emtionemque, revera tamen dari mutuam pecuniam lucri faciendi cauſa: quare ſi licitae erunt jure naturali modicae uſurae, licitus quoque erit deſcriptus contractus; ſi ſecus, illicitus. Hinc quia poſitivo jure vetitae ſunt uſurae, eodem quoque jure Mohatra contractus vetatur.

CAP. XIII.

De contractibus oneroſis, ſeu permutatoriis.

PERMUTATIO.

DEFINITIONES.

I.

395. PErmutatio eſt contractus oneroſus, quo res aut opera datur ab uno, ut alius viciſſim det aliam.

SCHOLION.

396. Primi mortalium ante inventum nummum commercia ſolis exercebant permutationibus, exercentque etiamnum gentes, quae nummum ignorant; ut proinde ſit hoc genus contractus antiquiſſimum, maximeque omnium naturale.

II.

397. *Permutatio ſimplex* eſt, quum neutra res aut opera aeſtimatur, *h. e.* nullum certum ei ſtatuitur pretium.

III.

398. *Permutatio aeſtimatoria* eſt, quum utrique rei operaeve certum ſtatuitur pretium.

IV.

IV.

399. *Æqualitas* in contractu oneroſo obſervari dicitur, quum tantumdem recipitur, quantum datur; *inaequalitas*, ſi contra evenit.

SCHOLION.

400. In quovis permutatorio contractu aequalitas intenditur, ut idcirco ſi quae deprehenditur inaequalitas, etiam ſine ulla partium culpa, corrigenda ea ſit, nempe demendum ei, qui plus habuit, reddendumque minus habenti.

401. Quatuor occurrunt permutationum ſpecies, quibus deinde *innominatorum contractuum* inditum eſt nomen; 1. *do ut des*, 2. *facio ut facias*; 3. *do ut facias*; 4. *facio ut des*: *do* ad res; *facio* ad operas refertur.

402. Quoniam in ſimplici permutatione nulla habetur pretii ratio, hinc reciprocae donationi quodammodo ſimilis eſt; in ea contrahentium uterque non ſuam, ſed alienam rem ex adfectione ſua aeſtimat, ut dicere poſſis non rerum ſed adfectionis dumtaxat eſſe aequalitatem: talis erat illa Glauci, & Diomedis arma armis permutantium, apud Homerum.

Aurea aereis, centena novenariis.

& cum utroque praeclare actum: quum illa materiae inaequalitas aequalitate propoſiti, quo alter dedit alteri, compenſata eſſet, uti loquitur Maximus Tyrius Diſſert. Platon. XXIII. Quare contrahentium neuter ex hac permutatione ſe laeſum queri poteſt, niſi fors dolus aut vis alterius interceſſerit; aut is, qui rem pretio-

 ſio,

ſiorem viliore mutavit, liberam ſuis de rebus diſponendi facultatem non habuerit.

403. Æſtimatoria permutatio aequalitatem requirit; rata igitur non eſt, ubi alteruter inaequalitate laeditur; & qui laedit, alterum indemnem facere tenetur, niſi tam levis ſit laeſio, ut nulla ejus habenda ratio videatur.

EMTIO VENDITIO

DEFINITIONES.

I.

404. *Emtio venditio* eſt contractus oneroſus de re tradenda pro certo pretio eminente; tradenda res *merx* dicitur.

SCHOLION.

405. Hic contractus ab aeſtimatoria permutatione natura non differt; quum tam ſit res pecunia, quam ſunt eae, quae pecunia emuntur; neque inter ſe differunt pecunia frumentum emere, ac frumento pecuniam. Perfectus cenſetur emtionis contractus, ſtatim ac in pretium mercis utrinque fuit pure conſenſum: tunc enim naſcitur jus emtori, ut venditor ei rem tradat; venditori autem, ut emtor rem ſibi accipiat, pretiumque ſolvat, prout conventum eſt, quamvis nondum pretium numeratum ſit, nec arrha quidem data fuerit. Imperfecta eſt igitur emptio venditio, in qua venditor dicit emere volenti, *quanti velis*, *quanti aeſtimaveris emtum habebis*: haec namque promiſſio vaga nimium eſt, ex qua oſtendi non poteſt quid emtoris interſit.

II.

II.

406. *Auctio* eſt emtio venditio, in qua pretium non indicatur a venditore, ſed ab emtoribus licitando certantibus definitur.

SCHOLION.

407. Non differt ab *emtione ſub haſta*, niſi quod haec ſolemnior eſt actio, & publica auctoritate inſtituitur.

III.

408. *Emptio per averſionem* fieri dicitur, quum plures res diſparis pretii, vel incertae menſurae, non ſingulatim, ſed conjunctim aeſtimatae emuntur.

SCHOLION.

409. Plures hujuſmodi res fugitivo oculo aeſtimat emtor; qui quaſi averſa facie, nec videns eas aeſtimare cenſetur.

IV.

410. *Emptio ſpei* eſt, quum quis pro re, aut quantitate adhuc incerta, atque ex eventu certa demum futura, certum pretium ſolvit.

V.

411. *Addictio in diem* eſt pactum de emtione venditione perficienda, ſi intra certum diem nemo plus obtulerit; vel jam perfecta reſcindenda

ſi quis

ſi quis intra iſtud tempus plus, nec prior emtor tantumdem obtulerit.

VI.

412. *Lex commiſſoria* eſt pactum, quo cavet venditor, rem fore inemtam, ſi pretium ante certum diem emtor non ſolvat.

VII.

413. *Pactum de retrovendendo* eſt conventio de re vendita, pretio ante vel poſt certum diem, vel quandocumque reſtituto, venditori reddenda.

VIII.

414. *Pactum protimeſeos* eſt conventio, qua cavet venditor, ut ſi emta res iterum ſit vendenda, ipſe, ejuſve poſteri aliis praeferantur, ſoluto pretio, quod alii offerunt.

415. In contractu emtionis venditionis mercis explorationem tamquam tacitam conditionem eſſe habendam ait Puffendorfius lib. V. de I. N. & G. cap. 5. §. 2., ut adeo rerum, quae ad guſtum veneunt, venditio non prius perficiatur, quam facta ſit deguſtatio. Quare pati debet venditor, ut mercem emtor luſtret oculis, lingua deguſtet, aliiſque modis exploret; necnon mercis qualitates, vitia, onera, quae in ſenſus non incurrunt, emtori indicare tenetur: ſupervacaneum vero eſſet vitia jam emtori aliunde nota, vel manifeſta in ſenſus incurrentia indicare, quae ſi non curaverit noſſe emtor;

tor, negligentiae ſuae meritam feret poenam;

Ille feret pretium poenae ſecurus, opinor:
Prudens emiſti vitioſum: dicta tibi eſt lex.

pulchre ait Horatius lib. II. epiſt. 2. v. 17, 18. Quid, ſi occulta vitia non indicaverit venditor? Nempe ſi vitioſa merces emtori futura ſit omnino inutilis, reſcindetur contractus; ſi minus utilis, minuetur pretium, ut ſervetur aequalitas. Advertit vero Grotius lib. II. de I. B. & P. cap. 12. §. 9., non eſſe ſtricto jure manifeſtanda, quae mercem non contingunt; ut ſi quis ſciat, multas naves in curſu eſſe, quae frumentum advehant, quod adeo viliori pretio mox ſit vendendum. Huc facit, quod diſputat Cicero lib. III. de offic., ſi vir bonus Alexandria Rhodum magnam frumenti quantitatem in ſumma annonae caritate advexerit, idemque ſciat, complures mercatores Alexandria ſolviſſe Rhodum petentes, ſitne id Rhodiis manifeſtaturus, an ſuum quamplurimi venditurus: ſane perfecto jure id manifeſtare non tenetur, licet officioſum ſit ac laudabile indicare; itaut hic locum habere poſſit illud Diogenis apud eumdem Ciceronem: *advexi, expoſui: vendo meum, non pluris quam ceteri; fortaſſe etiam minoris, quum major eſt copia; cui fit injuria?* At adverſum Legem beneficentiae, atque humanitatis peccatum eſſet? Negat Puffendorfius lib. V. de I. N. & G. cap. 3. §. 4.: nam non pecunia, ſed frumento indigebant Rhodii, quippe qui opulentiae fama celebres. Deinde beneficium dare nemo tenetur, quum danti plus decedit, quam accipienti accedit: atvero diſtributo eo frumento plures inter Rhodios,

dios, parum ſingulis deceſſiſſet, multum autem vendenti acceſſiſſet. Quod ſi Rhodiorum unus aut alter omne coemiſſet frumentum; avaritiae ſuae imputare debuiſſet, quod nimis intempeſtive grandi lucro inhiaſſet.

416. Mercis determinatio per adnumerationem, ponderationem, aut menſuram non ad contractus eſſentiam, aut conditionem, ſed ad ejuſdem exequutionem ſpectat: niſi enim ſpecificata merx fuerit, neſcitur quid ad emtorem, quid vero ad venditorem pertineat, necnon cujuſnam ſpeciei dominium in emtorem tranſeat. In emtione tamen per averſionem nulla fieri debet mercis determinatio (§. 408.).

417. Ut omnis ab hoc contractu abſit laeſio, aequalitas inter mercem, ac pretium ſit oportet. Pretium vero *legitimum* ſi fuerit, nempe Lege taxatum, nullam admittit latitudinem, ac veluti in puncto conſiſtit, quod ultra citraque nequit rectum conſiſtere; ſi autem *commune* fuerit, nempe plurium judicio definitum, latitudinem ſuſcipit, ejuſque tres fieri ſolent gradus. *infimi* ſcilicet, vel *pii*; mediocris, ſeu *medii*; & *ſummi*, vel *ſupremi*, aut *rigoroſi*. Quanta ſit ea latitudo, accurate ſtatui nequit; atvero optimum fuerit ſtare eorum judicio, qui mercium, ac fori periti habentur. Quod ſi eorum pretiorum duo nota fuerint, innoteſcet quoque tertium. Finge ſupremum mercis pretium eſſe 20., infimum 18.; ſumatur utriuſque ſemidifferentia 1., quae addatur 18., aut demator a 20., habebitur 19. pro medio pretio. Si nota fuerint 20., ac 19., demta ſemidifferentia a medio, reſiduum erit 18., nempe infimum; notis demum 18., & 19., addita ſemidifferentia, fiet 20. ſummum nempe pretium. Legale pretium nec venditori vel minimum augere, nec emtori vel mi-

ni-

nimum minuere licet; omnis differentia laeſionem infert, ideoque reſtitutionis obligationem. In pretio vero communi donec intra ſupremi infimique pretii cancellos ſiſtatur, nulla fit laeſio, ut idcirco cuique liceat mercem pretio infimo emere, eamdemque ſupremo vendere: quod ſi ii praetergrediantur limites; laeſio quoque inferetur.

418. Sed & commune pretium variis ex rationibus, quas (§. 353.) enumeravimus, intendi remittive poteſt. His vero addi poteſt ipſe vendendi modus, veluti ſi res minutatim aut ſimul magna in copia vendatur: primus quippe vendendi modus expenſas ac moleſtias haud modicas ſecum fert; ſi merces ultro offeratur: id namque indicio eſt, paucos eſſe emtores, aut modicam eſſe mercis neceſſitatem, vel exiguam ejus utilitatem; ſi venditio per auctionem fiat; ſi in gratiam venditoris res parum utilis ematur. Quod ſi quis rem carius vendere velit ob ceſſans ſibi lucrum, emergenſve damnum, aut ex ſua peculiari affectione; monere prius hac de re emtorem deberet, qui fortaſſis rem non emeret, ſi rem in ſe inſpectam minoris valere ſciret. At in hoc negotio fraus omnis doluſque ex utroque latere abſit oportet, ut inter bonos viros agi licet. Hinc nec fictos licitatores immittere poteſt venditor, neque vafros proxenetas, qui vilem mercem tollant ad ſidera, neque mercis vitia celare: viciſſim emtori non licebit vi, minis, fraude a licitatione alios arcere; idque ſi fecerit, reſtitutioni erit obnoxius, donec ad juſtum pretium perveniatur. Pariter bonus emtor monere debet venditorem de valore ſuae mercis pretioſae, quam quia vilem eſſe putat, minimi venderet.

419. Quoniam explorata merce, pretioque ſtatuto,

to, perficitur emptio (§. 405., 415.), tunc mercis dominium in emtorem trajicitur (§. 405.) etſi traditio facta non fuerit: hinc & periculum & commodum rei venditae ſtatim in emtorem tranſire intelligitur, niſi venditor vel in mora tradendi, vel culpae alicujus ſit reus. Ut vero emtor venditae rei commoda jure percipiat, de pretio quocumque modo venditori ſatisfeciſſe oportet: alias iniquum eſſet ſimul rem, ſimul pretium habere, cum alienaque jactura fieri locupletiorem. De pretio autem ſatisfeciſſe cenſetur, non modo ſi illud perſolvit, ſed & ſi ejus fidem ſequutus eſt venditor, *v. g.* uſuras ſibi in ſingulos annos ſtipulatus: ſi namque graeca fide ſemper eſſet mercandum, rariſſima agitarentur commercia, quae magis fide, quam pecuniae commutatione conſtare docet experientia. Sancitum eſt Rom. jure, dominium ſine traditione in emtorem non tranſire, interim venditae rei periculum emtoris eſſe: quae duo quam bene inter ſe cohaereant, videant ejus juris periti.

420. Quum emtio venditio eo fiat conſilio, ut dominium titulo oneroſo in emtorem transferatur; is vero qui ita dominium in alterum transfert, de evictione ei teneatur (§. 292.): hinc venditorem emtori debere evictionem, omni caret controverſia.

421. In quovis contractu omnia redeunt ad duorum, pluriumve in idem conſenſum (§. 326. 352.); hinc in emtione venditione quaevis adjici poſſunt conditiones, modo non improbae, ac fraudulentae; veluti addictio in diem, lex commiſſoria, pactum de retrovendendo, protimeſeos, de evictione non praeſtanda, de poena in caſum poenitentiae ſolvenda; ut pretio nondum ſoluto, dominium tantiſper penes venditorem

ma-

maneat ; ut emtor pretii partem ſub uſurarum lege ſibi retineat, quo de evictione ſecurus praeſtetur ; ut acceſſoria cum re principali veneant; ut fixa vincta quaevis tollere liceat ; ut res vendita locetur venditori pro certa mercede ; & ſi qua ſunt id genus alia . Ex eodem contrahentium conſenſu conveniri poteſt , ut ob quantamcumque inaequalitatem non reſcindatur contractus , quum quiſque poſſit juri ſuo cedere : hinc & auctio , & emtio ſpei , & per averſionem nihil habent injuſti , niſi vel dolus alterius interceſſerit ; vel de re , quam offert eventus , a contrahentibus haud fuerit cogitatum (§. 326.). Mileſii quidam juvenes jactum retis emerant a piſcatoribus Coos , qui poſtea mari aureum tripodem extraxerunt ; utrique ſibi ſuum eſſe aſſerebant : at ſatis conſtat , fuiſſe piſcatorum , ſi de domino non conſtiterit (§. 283.) , quum neutri de eo tripode cogitare potuerint ; & de piſcibus tantum ſtipulati ſibi fuerint Mileſii juvenes .

MONOPOLIUM

DEFINITIO.

422. *Monopolium* eſt plurium mercatorum conſpiratio , ut ſoli ipſi quaſdam merces emant, aut vendant quo libuerit pretio .

COROLLARIUM.

423. Monopolium itaque non eſt , ſi unicus civis in urbe aliqua certum mercium genus ſolus conficere noverit , aut ſi quis in agro ſuo certum fructuum genus ſolus habeat, nec qui ex remota regione merces quaſdam ſolus advehat ,

ſo-

ſoluſque vendat: at monopolium exercent, qui de compacto id agunt, ut merces ſupra ſummum pretium, quod modo obtinet, vendantur; qui vi aut fraude impediunt, ne major mercium copia importetur; qui merces omnes coemunt, ut venditionis tempore vendant pretio iniquo. De his omnibus pronunciat Grotius lib. II. de I. B. & P. cap. 12. §. 26., injuriam ab iis fieri, & ad eam reparandam obligari. Sane iniqua eſt venditio ſummum pretium excedens (§. 417.). Jus quoque eſt civibus, ut maxima mercium copia in ſuam civitatem importetur, ut eaſdem vilius emere liceat; quare qui id fraude, aut vi praepedit, populi jura laedit. Praeterea rerum communium diviſio, negotiationes & commercia ejuſmodi eſſe nequeunt, ut in Reip. detrimentum redeant, & communem inopiam invehant: hinc omnium gentium jure vetita ſunt monopolia, quae caritatem publicam inducunt.

424. Quid ſi fiat conſpiratio non vendendi niſi ſummo pretio, neque emendi, niſi infimo? Primum eſſe injuſtum, inde liquet, quod jus civium laeditur medio aut etiam infimo pretio emendi. Alterum quoque venditorum jura laedit, quibus eſt poteſtas ſummo pretio (§. 417.), aut etiam medio vendere.

425. Interdum tamen ob mercatorum inopiam vel aliquorum induſtriam, aut ob tolleratas impenſas, ob adita pericula, aliiſve juſtis ex cauſis publica auctoritate monopolia recte conſtituuntur, taxato tamen prius pretio mercibus praeſertim neceſſariis.

LO-

LOCATIO CONDUCTIO

DEFINITIO.

426. *Locatio conductio* eſt contractus de rei uſu vel operis pro certa mercede pecuniaria praeſtandis. Qui rei aut operis praeſtat uſum, *locator*; is cui praeſtatur, *conductor* nominatur. Merces pecuniaria *penſio* quoque dici ſolet.

SCHOLION.

427. Hic contractus emtioni venditioni eſt valde affinis: merces ſiquidem pretio reſpondet, ac dominium emtione adquiſitum facultati utendi re locata. Emtio perfecta eſt, ſtatim ac de pretio fuit conventum; locatio, quum in mercedem utrimque conſenſum fuit. In emtione pretium indicat venditor, ultimum ſtatuit emtor; in locatione mercedem indicat locator, ultimum definit conductor. In emtione ſi res in venditoris gratiam ematur, vilius; ſi in gratiam emptoris vendatur, carius emi ſolet: in locatione qui rem operam ſuam locare rogat, modica mercede eſt contentus; cujus vero res aut opera avide quaeritur, magnam mercedem meretur.

428. Locatoris officia ſunt. 1. rei uſum, operaſve conventas praeſtare; ideoque ſi conductor locata re uti nequeat, impedimento proveniente ab ipſo locatore, tenebitur hic ad remiſſionem penſionis pro rata temporis, quamvis juſtum impedimentum fuerit; *e. g.* ſi operis locator ad tempus aegrotet. Idem eſto judicium, ſi impedimentum caſu contingat: caſum namque fert dominus; & locator rei locatae, vel operis verus eſt dominus. Quod ſi impedimentum injuſte a locatore poſitum fuerit; poterit conductor eum ne-

nedum ad penſionis remiſſionem, ſed & ad id quod intereſt, convenire: conduxi, *e. g.* ſtabulum, ubi gregem hyeme detinere poſſem, noluit vero locator ejuſdem ſtabuli uſum mihi praebere, grex interim periit; tenebitur ad damnum locator. Verum in caſu fortuito diſtinguendum eſt inter eas res, quarum omnis fructus in uſu conſiſtit, veluti domus ad habitandum, equi ad equitandum, bovis ad arandum; atque eas, quarum fructus diverſi ſunt ab uſu, & quorum proprietas ad conductorem pertinet, veluti ſi vinea conducta fuerit: in illis damnum feret locator, quippe dominus; in iſtis fructuum proprietas in conductorem eſt translata, ideoque damnum, aut lucrum conductoris erunt, & ad ſolvendam penſionem obſtringetur. Quid, ſi arbores ipſae perierint? Eae ſunt in dominio locatoris, qui proinde damnum feret in penſione exigenda, ſi aequitatis haberi velit ratio. Demum ſi conductor locata re uti non poſſit, provenietque ab ipſo impedimentum, id ſibi imputet, totamque penſionem repetet jure locator. 2. Debet locator conductorem indemnem ſervare; ideoque impenſas in rem locatam factas reſarcire. 3. quamvis finito locationis tempore, conductorem pellere poſſit locator; attamen ante finitum tempus non poteſt locatam rem revocare, niſi inter locatorem & conductorem ita conveniat; vel ex cauſa ſuperveniente non praeviſa locator ipſe re locata egere incipiat: quibus caſibus penſionis partem remittere tenetur; quod ſi abſque juſta cauſa expellere non dubitarit, tenebitur etiam ad id, quod intereſt. 4. quoniam ab omni contractu procul eſſe debet dolus (§. 336.), omnia idcirco vitia locatae rei debet conductori patefacere; alias de dolo tenebitur, deque illato damno. Conductoris porro officia ſunt. 1. penſionem inte-

tegram & quidem in tempore praeſtare, vel per partes ſi ita fuit conventum, vel in fine totam. 2. finito tempore debet rem in ſpecie reſtituere, ac ſi quod ſua culpa dedit damnum, reſarcire. 3. ante finitum tempus non licet ei rem deſerere, niſi id juſta cauſa perſuaſerit; veluti hoſtium incurſio, peſtilentiae metus, cetera id genus. Quumque conſenſu etiam tacito perficiantur contractus (§. 333.); hinc ſi elapſo tempore neuter contractui renunciaverit, intelligetur facta eſſe *Relocatio*, & quidem iiſdem legibus, quibus locatio inita fuit.

SOCIETAS

DEFINITIONES.

I.

429. *Societas* eſt communicatio inter plures rerum, vel operarum, vel utrarumque, necnon inde provenientis lucri, aut damni.

II.

430. *Societas universalis* eſt, quae omnium bonorum, *particularis*, quae aliquorum inſtituitur.

III.

431 *Societas leonina* eſt, in qua ex una parte dubium eſt lucrum, vel certum damnum; ex altera certum eſt lucrum, vel anceps damnum, aut certa ſaltem indemnitas.

432. In ſocietate particulari lucri ac damni ſervari debet aequalitas, geometrica ſcilicet, adeout qui plus rerum vel operarum contulerit,

eo plus lucri damnique ferre debeat, quam alii qui minus contulerunt; *in pecuniarum communione plura accipiunt*, *qui plura contulerunt*, ait Ariſtoteles ad Nicom. VIII. 16.: nam arithmetica aequalitas ſocios inter, tamquam inter fratres, in Rep. Platonis ſperari unice poteſt; poſſent tamen ſocii pactionibus tum arithmeticam aequalitatem, tum quamcumque inaequalitatem ſtatuere, quum quiſque de rebus ſuis diſponendi libera poteſtate gaudeat; dum ne dolus alicujus e ſociis intercedat. Communis deinde res diligenter curari debet a ſociorum ſingulis, vel ab eorum aliquibus, vel ab uno pro omnibus, prout conventum inter eos fuerit; proinde qui commune dedit damnum, de eodem reparando ſingulis pro rata tenetur. Demum quia omnis ſociorum obligatio ex eorum conventione pendet, ſi temporaneam ipſis placuit inire ſocietatem, elapſo tempore praefinito, nec prius, ea diſſolvetur; ſin perpetuam voluerunt, nunquam fas erit eam diſſolvere, quamvis id permittatur Rom. Legibus: attamen omnino aequitati congruit, ut ſi aliquis ſociorum mala fide egit, ac ſocietatis leges violavit, integrum ſit aliis ſocietati perpetuae, aut etiam temporaneae ante conſtitutum tempus renunciare; ſiquidem omni pacto tacita ineſt conditio, *ſi alii ſuas expleverint partes* (§.328.).

433. Quamdiu durat ſocietas univerſalis, quilibet ſociorum ex communi aſſe ſumere poteſt quantum pro conditione ſua, & quantum frugalis oeconomiae ferunt leges, quae ad ſui ſuorumque honeſtam ſuſtentationem ſunt neceſſaria; nec habet ſocius quod conqueratur, ſi unus qui minus contulit, exigente neceſſitate, plus alio expendat. Interim ne litibus pateat locus, ab initio ſtabiliendum quas lucri partes quiſque ſoluta ſocietate accipere debeat.

PA-

PACTA ACCESSORIA

Pignus, & Hypotheca

DEFINITIONES.

I.

434. *Pacta acceſſoria* ea dicimus, quae contractibus jam determinatis, ac modificatis firmitatem aliquam, ac ſecuritatem adjiciunt.

II.

435. *Pignoris* contractus eſt, quo debitor creditori tradit rem mobilem in debiti ſecuritatem cum obligatione ejuſdem in ſpecie reſtituendae, nomine expuncto.

COROLLARIUM.

436. Quia res mobilis creditori traditur unice in ſecuritatem; hinc rei dominium in creditorem non transfertur (§. 293.); ſed jus eidem conſtituitur, ut niſi debitum expungatur, rem ſibi retinere, aut vendere poſſit. Quare ſi pereat caſu pignus, debitori perit, nihilominus debitum perſolvere cogitur.

III.

437. *Pignus luere* dicitur debitor, quum debitum ſolvit.

IV.

438. *Hypotheca* eſt contractus, quo res immobilis creditori non traditur, ſed in illa jus

 eidem

eidem conſtituitur, ut eam poſſit occupare, ſi non fuerit expunctum nomen.

V.

439. *Pactum antichreticum* eſt, quo ſtatuitur, ut fructus rei in crediti ſecuritatem traditae cedant creditori uſurarum vice.

VI.

440. *Jus pignoris* eſt jus a debitore in re tradita creditori conſtitutum, ut niſi ſtatuto tempore debitum ſolvatur, ex eadem ipſi ſatisfiat: ſi idem jus conſtituatur in re immobili non tradita, *jus hypothecae* dicitur.

COROLLARIUM.

441 Quoniam jus quaeſitum eſt creditori, in quemcumque translata ſit res, perdurat jus creditoris; ſecus nullum haberet effectum hypothecae conſtitutio. Hinc, elapſo tempore praefinito, creditori jus eſt diſtrahendi pignus, aut hypothecam, & deducta ſorte, reliquum pretium creditori reſtituendi.

442. Debitoris officia ſunt 1. pignus loco & tempore convento creditori tradere. 2. illud ante ſolutionem non repetere. 3. ſi rem alienam, aut vitioſam oppignoravit, creditorem indemnem ſervare. 4. omne damnum ſentire, & impenſas neceſſarias reſtituere. Viciſſim creditoris officia ſunt 1. ut ab uſu pignoris abſtineat: hoc ſiquidem ad cautionem, non vero ad uſum ipſi traditum eſt a debitore. 2. ut illud caute cuſtodiat. 3. ut idem in ſpecie reſtituat, ſoluto debito. Quid, ſi fructuoſum ſit pignus, & pa-
ctum

ctum antichreticum fuerit appoſitum? Si licitae ſunt uſurae, & creditori licebit ſibi fructus retinere; ſin contra, ad eorum reſtitutionem erit obſtrictus.

443. Legem commiſſoriam, nempe pactum de re oppignorata, ſi intra certum tempus non reluatur, creditori pro ſorte & uſuris relinquenda, improbant Rom. Leges ad creditorum avaritiam cöercendam: at quoniam naturali jure domino ſub quacumque conditione rerum ſuarum alienatio permittitur, hinc & commiſſoria iſta lex iniqua non eſt. Cicero L. XIII. epiſt. 56.: *Philotes Alabandenſis hypothecas Cluvio dedit; hae commiſſae ſunt*. Variis etiam exemplis oſtendit Hertius ad Puffend. V. cap. 10. §. 14. apud gentes liberas eam legem in uſu fuiſſe.

SCHOLION.

444. De contractus *triplicis* juſtitia quaeri hic ſolet. Eſt vero triplex contractus, qui ex tribus coaleſcit, ſocietate nimirum, aſſecuratione, ac venditione: nempe, is qui pecuniam confert in ſocietatem, cum altero ſocio paciſcitur, ut quidquid contigerit, ſua ſibi ſalva ſit ſors cum certo lucro, attamen minore eo, quod ſperare potuiſſet; aſſecurans ſocius ſpem ſibi emit ulterioris lucri, eamque vendit alter, qui parvo contentus ſuam ſortem in tuto eſſe geſtit. Prima fronte leonina videtur eſſe ſocietas (§. 431): atvero quamvis commune lucrum aeque debeat eſſe ac damnum (§. 429.), nihil tamen obſtare videtur, quin adjectis pactis aliter cum ſocio negotiaturo ſocius alter convenire poſſit, & quam aſſecurationem a tertio petere poterat, a ſocio poſcat, atque in oneris compenſationem eidem ulterius ſperatum lucrum remittat; ac ſocius vi-

ciſſim ſpem ulterioris lucri ſponte ſua emat. Sortis autem aſſecuratio, lucrumque mediocre non ex vi ſocietatis praeſtantur, ſed ex ſpei venditione, quam juſtam eſſe diximus (§. 421.). Non ſum vero neſcius, ejuſmodi contractum a multis reprobari.

FIDEJUSSIO, OBLIGATIO CORREALIS, EXPROMISSIO.

DEFINITIONES.

I.

445. *Fidejuſſio* eſt contractus, quo quis ſe obligat ad id, quod tertius debet, in ſubſidium ſolvendum: iſque *fidejuſſor* nominatur.

II.

446. *Obligatio correalis* eſt, qua quis ſe pro altero non in ſubſidium ſoluturum conſtituit, ſed una cum alio in ſolidum ſe obligat: is *reus* dicitur.

III.

447. *Expromiſſio* eſt contractus, quo quis alterum, conſentiente creditore, obligatione liberat, eamque totam in ſe ſuſcipit: *expromiſſor* ille dicitur.

IV.

448. *Debitorem excutere* idem eſt, ac in facultates ejus inquirere, an ſolvendo ſit necne.

V.

V.

449. *Beneficium excuſſionis*, ſeu *ordinis* eſt illud, quo gaudet fidejuſſor, ut debitor prius excutiatur.

VI.

450. *Beneficium diviſionis* eſt, quo gaudent plures fidejuſſores, ut ſinguli pro rata ſolvere debeant.

451. Quoniam fidejuſſorum obligatio ſubſidiaria eſt (§. 445.), ſequitur 1. eos ſe obligaſſe ad idem, quod creditor a ſuo debitore exigere poterat, ut idcirco iniquum eſſet, plus ſibi a fidejuſſoribus ſtipulari creditorem, quam a debitore. 2. beneficium ordinis & excuſſionis totum eſſe naturalis juris. 3. ſi plures pro iiſdem perſonis, iiſdemque rebus fidejuſſerint, pro rata dumxat teneri, niſi forte confidejuſſores ſolvendo non ſint, idque alius fidejuſſor non ignoraverit; ideoque a natura eſſe diviſionis beneficium. 4. fidejuſſionem habere locum in iis tantum rebus, quae aeque commode a debitore principali, ac a quovis alio praeſtari poſſunt; quare fidejuſſiones pro capite damnatis rationi adverſantur; quod ſi vero crimen mulcta expiari poſſit; alius pro alio recte fidejubebit. Non ſum neſcius, vades pro alterius vita apud multas gentes fuiſſe admiſſos: verum hoc ab eo errore habebat originem, quod creditum fuerit, eo uſque hominem vitae ſuae eſſe dominum, ut ſolo conſenſu eam pro alterius vita poſſet oppignorare, adeoque pro alieno delicto ipſe capite plecti poſſet; quod falſiſſimum eſſe conſtat (§. 175.). Deinde hujuſmodi vadimonium bono publico adverſatur: qui enim deliquit, quod meritus

tus eſt, patiatur oportet, non autem innocens; & poenarum finis eſt, ut delinquens emendetur, aut delinquere amplius nequeat, aliique a criminibus abſterreantur. Non igitur alii vades admitti debent in criminum judiciis, niſi qui vel promittant, damnum delicto datum a ſe reparatum iri; vel qui caveant de reo ſiſtendo.

452. Quoniam correorum obligatio eſt in ſolidum, iique non in ſubſidium, ſed tamquam rei principales ſpoponderunt (§. 446.); conſequitur, creditoris in arbitrio eſſe, quem ſibi placuerit urgere, & ad ſolvendum compellere: uno autem correo expungente nomen, alios liberari creditoris reſpectu, non vero ratione correi, qui quum pro aliis ſolverit, eorum negotia utiliter geſſit; ut proinde ille ab aliis indemnis praeſtari debeat. Demum quia expromiſſor, conſentiente creditore, omne debitum in ſe ſuſcepit, omnique obligatione debitorem liberavit (§. 447.) idcirco creditor nec ordinem, nec excuſſionem primi debitoris urgere valet, etiamſi ab expromiſſore ſuum obtinere nequeat.

CONTRACTUS ALEAM CONTINENTES

DEFINITIONES.

I.

453. *Sponſio* eſt contractus, quo ſuper eventu incerto ita convenitur, ut ei qui verum aſſequutus fuerit, ab altero qui negavit, aliquid praemii certi ſit impertiendum.

II.

454. *Olla fortunae* appellatur, quando in urnam immittitur certus numerus ſchedularum, par-

partim inſcriptarum, partim inanium, ac pro certo pretio emitur jus unam aut plures ſchedulas extrahendi, ea lege ut qui eas extrahit, rem ſibi accipiat, quam eae praeſeferunt. Hinc intelligitur, quid ſit *contractus ollae fortunae*.

SCHOLION.

455. Ad hunc contractum refertur *Lotaria*, vulgo *Lotto*; quum nempe in urnam immittuntur ſchedulae, quarum ſingulae numerum aliquem habent inſcriptum; dein luſores binos, ternos &c. nominant numeros; modicam deponentes pecuniam; mox pauci numeri *v. g.* quinque ſolum ſortito extrahuntur; ſi ex his quinque bini, terni &c. reſpondeant numeris deponentium, eorum erit lucrum proportionatum. In Lotaria noſtra numeri 90. ſunt in urna.

III.

456. *Ludus* eſt contractus, quo ludentes inter ſe paciſcuntur, ut victori cedat, quod ab aliis fuit depóſitum.

SCHOLION.

457. Sunt ludi mere aleam continentes; ſunt ludi mixti, qui tum a fortuna, tum ab induſtria pendent.

IV.

458. *Aſſecuratio* eſt contractus, quo quis promittit pro certo pretio ſe praeſtaturum alium indemnem, ſi huic res ſua perierit. Hic contractus *periculi averſi* dicitur.

439. Sponſiones, contractus ollae fortunae, ludos nihil in ſe injuſti continere vel ex eo liquet, quod ſi quiſque poteſt *pure* donare, poterit quoque in certum eventum; ſi poteſt ſolus ipſe donare, multo magis plures reciproce ſibi donare poterunt: deſcripti vero contractus ſunt reciprocae donationes ſub ea conditione factae, ſi quis ex ludi legibus alterum vicerit; ſed illiciti fieri poſſunt ob temporis jacturam, avaritiam, cupiditatem, iras, contentiones, fraudes, caedes, aliaque id genus. In licita ſponſione duo requiruntur. 1. uterque ſpondens eodem ſenſu accipere debet id, de quo decertatur; ſecus deerit conſenſus (§. 68. 336.). 2. aeque incerta eſſe debet res, ſuper qua concertatur, ne deſit aequalitas, & iniquus fiat contractus. Ludi ut ſint liciti, requiritur 1. libertas, ne quis vi metuve ad ludendum impellatur (§. 337.). 2. bona fides, ne ludens a colluſore fraudibus circumveniatur (§. 336.): veluti ſi quis in ludo inexpertum ſe ſimulet, ut alium inexpertiorem ad ludendum inducat; ſi chartas ſigno notet à tergo; ſi in numero calculorum decipiat; ſi a tergo colludentis adſit ſpeculum, unde ejus chartas alter videat. 3. aequalitas inter colluſores, ut aequalis ſit omnium ſpes, aequale periculum. 4. ut colludentes jure alienandi gaudeant. 5. ut ludi nulla poſitiva lege prohibeantur. In affecurationis contractu demum requiritur 1. ut probabile ſit periculum. 2. ut periculo pretium proportione reſpondeat. Deſcripti contractus non ideo habendi ſunt iniqui, quod aleam continent: verum nihil magis fugiendum viro probo prudentique, quam res ſibi ſuiſque neceſſarias, utileſve incertae aleae ſubjicere; aut lucrum ex aliorum temeritate immerito ſibi captare. Quare vitioſi erunt, atque improbandi ejuſmodi contractus, niſi in rebus

bus verſentur levibus, quibus locupletiores homines animi cauſa haud incommode carere poſſunt. Illud quoque improbum omnino eſt, nugaciſſimis iſtis nugis totum ſe dedere, in iiſque multum temporis impendere, atque ita iis aſſueſcere, ut ad ſeria vix poſſit incumbi. Demum quia malo noſtro evenit, ut ſumma ſit ad eos contractus ineundos hominum proclivitas, hinc & civili Lege ſunt coërcendi, ne opes in mercatura & opificiis ad Reip. bonum impendendae ad haec parum honeſta, innumeriſque fraudibus obnoxia convertantur, aut ſtolida foveatur avaritia.

CAP. XIV.

Quibus modis ſolvuntur obligationes pactis initae.

460. PRimus modus eſt *ſolutio*, cujus nomine venit naturalis praeſtatio ejus, quod in obligatione eſt, illi, cui quis ex promiſſo obligatur, facta; vel ei, cui ille nomen ceſſit, vel cui ſolvi mandavit. Integra autem debet eſſe ſolutio, atque omnibus circumſtantiis pacto appoſitis veſtita. Quod ſi alius ad pacti impletionem ſe offerat, liberabitur quidem paciſcens, ſi quod promiſſum eſt, vicariam praeſtationem admittat; non autem contra: veluti ſi Titia ex pacto ſponſalitio ad nuptias cum Sejo contrahendas fuerit obligata, non liberabitur, ſi Sulpicia ſe offerat, quia Sejus Titiae qualitates elegit.

461. Secundus eſt *compenſatio*, quae eſt mutui debiti, & crediti contributio. Finge, Cajum debere

bere mihi centum ex vino ſibi vendito, me vero debere illi centum alios ex frumento mihi credito: ſi ordine eſſet procedendum, primo ille centum mihi ſolvere deberet, deinde ego illi; brevius id fiet, ſi uterque ſuos centum retinet; eſt igitur compenſatio idem ac ſolutio brevi manu facta (§. 293.). Ut autem ſit compenſationi locus, certae aeſtimationis eſſe debet utrimque debitum: hinc fruſtra compenſarentur res & facta, niſi haec jam eſſent aeſtimata. Deinde compenſari nequit liquidum cum illiquido: illud namque ſtatim debetur, hoc vero poſt cauſae cognitionem. Fieri poteſt quoque compenſatio ad ſummam concurrentem: veluti ſi Titius centum mihi debeat, ego illi quadraginta; mihi tantum ſexaginta ſolvet. Eſt etiam alia compenſandi ratio, quum nempe creditor rem aliam, quam ſit debita, ſolutionis loco ſibi accipit; atque haec tum habere poteſt locum, quum creditor ratam habuerit.

462. Tertius eſt *condonatio*, quum is, cui debetur, jure ſuo ſe ultro abdicat. Nihil refert, verbis, an factis, chirographi laceratione, an aliis modis mentem ſuam manifeſtet creditor.

463. Quartus eſt *mutuus diſſenſus*: nihil enim tam eſt naturale, quam eodem modo quidque diſſolvi, quo colligatum eſt; fitque tunc remiſſio mutua juris ex conſenſu adquiſiti. Neceſſe eſt tamen, ut ne huic diſſenſui obſtet poſitiva lex, aut ipſa rei natura: hoc nomine chriſtianum matrimonium mutuo conjugum diſſenſu ſolvi nequit. Quum vero pacta ſtent conſenſu, alterius paciſcentium perfidia alteri a pacto abſcedendi facit poteſtatem: qui tamen ſi diſcedere nolit, perfidus pacto ſtare tenebitur, quia unius tantum diſſenſu diſſolvi nequeunt pacta; ac nemo ex ſua improbitate utilitatem referre debet.

Phi-

Philoſtratus laudat Regem, qui foedus cum vicino percuſſum ſancte ſe cuſtodire profeſſus eſt, quamvis vicinus contra foederis leges arma moveret: deridicula ſane laus, quum magis ſimplicitatem ſuam prodiderit bonus ille Rex, quam inſignem fidem; quoniam qui frangit fidem, meretur ut fides frangatur eidem.

464. Quintus eſt *lapſus temporis*, & *defectus conditionis*. Sane obligatione *ex die* concepta, peti nequit quod eſt promiſſum, priuſquam venerit dies; promiſſum vero *in diem* ſi fuerit, veniente eo die, perimitur obligatio, modo tamen ad tollendam obligationem, non vero ad eamdem ſollicitandam appoſita ſit dies. Deinde conditio pacti obligationem ſuſpendit; quare ubi illa defecerit, omnis quoque ceſſabit obligatio.

465. Sextus eſt *ſtatus mutatio*; nempe ſi obligatio intuitu alicujus ſtatus fuerit inita, haec demum mutato ſtatu ceſſat: veluti ſi quis tamquam miles ad militares leges ſe obligavit, deinde miles eſſe deſinat, iiſdem legibus non tenebitur; non vero ceſſat obligatio militis debitoris, ſi miles eſſe deſinit. Id vero intelligendum de mutatione ſtatus promittentis, non vero alterius, niſi in eo caſu, quo factus ſit incapax adquirendi id, quod ſibi fuit promiſſum. Latini putabant ſe liberatos obligatione foederis cum Romanis initi, quum adhuc eſſent ſub Tarquinio, quia Rom. Reip. ſtatus poſt Tarquinium fuit mutatus; non recte: nam non idcirco incapax evaſit Reſp. foederatos habendi.

466. Septimus eſt *mors*, quae omnia jura, omneſque perimit obligationes ſolius perſonae intuitu initas, *e. g.* promiſſio matrimonii: ſi vero promiſſa ſit praeſtanda res, obligatio ad haeredes tranſibit.

467. Octavus eſt *rei interitus*, nempe ſi pereat ipſa

ipſa res, ſuper qua convenerant paciſcentes; modo res promiſſa ſit in individuo.

468. Nonus eſt *tranſactio*, quum partes de rebus dubiis ac litigioſis compoſitionem inter ſe ineunt, aliquo dato, aliquo retento.

469. Decimus eſt *novatio*, quum vetus obligatio aboletur, novaque alia inducitur.

470. Undecimus eſt *Delegatio*, quum creditor obligationem remittit debitori ea lege, ut alius debitor ſufficiatur, qui vice prioris debitoris nomen expungat.

CAPUT XV.

De officiis adverſus alios imperfectis

DEFINITIONES

I.

471. *Amor* eſt adpetitio boni juncta delectationi ex amatae rei perfectione, quam conſervare & amplificare ſtudemus, quantum ex nobis eſt. Atque hic amor *complacentiae* dicitur.

II.

472. *Amor humanitatis* eſt, quo alteri praeſtamus quod ei profuturum novimus, etiamſi jure non debeamus; modo tamen id ſine ullo noſtro detrimento fiat. Hinc humanitatis officia *innoxiae utilitatis* dicuntur, quippe quae dum aliis proſunt, nobis minime nocent.

III.

III.

473. *Amor beneficentiae* eſt, quo alteri praeſtamus quod ei eſt profuturum, etiam cum noſtro aliquo deterimento ac ſine ſpe retributionis, etſi ſtricto jure non debeatur. Unde liquet quid ſit *beneficium*.

IV.

474. *Indefinita humanitatis officia* vocat Puffendorſius, quae ſine reſpectu ad certam perſonam omnibus promiſcue praeſtantur, vel ſaltem offeruntur: *definita*, quae certis tantum perſonis, earumque intuitu praeſtamus.

V.

475. *Stricto jure* deberi dicuntur, quae ex juſtitia debentur, ad eaque cogi poſſumus vi belloque in ſtatu naturali, auctoritate Magiſtratus in ſtatu civili.

VI.

476. *Sapientia* eſt facultas diſcernendi ea, quae ad noſtram, aliorumque felicitatem pertinent.

VII.

477. *Gratitudo* eſt amor erga benefactores: Liquet ergo quid ſit ingratitudo.

VIII.

478. *Officioſitas* eſt ſtudium praeſtandi ea, quibus alii indigent, quaeque iis ſunt profutura, cum obligatione tamen reſtitutionis, vel compenſationis.

COROLLARIUM.

479. Humanitatis, ac beneficentiae amor ſapientiam habet directricem, quae diſcernere nos facit, quid nobis, aliiſque vere ſit profuturum. Nulla ſane virtus, uti perſpecte animadvertit Ariſtoteles, ab animi ratione ſejuncta conſiſtere poteſt.

IX.

480. *Amor amicitiae* eſt amor entis nobis aequalis, cujus perfectione ac felicitate aeque ac noſtra delectamur.

AXIOMA.

481. *Quod tibi fieri vis ab aliis, id & aliis facito.*

482. Hoc axiomate omnia humanitatis, ac beneficentiae officia continentur; ad eaque etſi per modum coactionis non obligamur (§. 475.) attamen ex amoris indole ad illa officia aliis praeſtanda adſtringimur: quique eadem praeſtare non curaverit, violati amoris poenas mundi Fiſco perſolvet. Animadvertit Barbeyracius ad Puffendorfium lib. 1. cap. 2. de offic. hom. & civ. officiis perfectis reſpici humani generis conſervationem, ac ſuſtentationem; imperfectis vitam commodiorem, atque amoeniorem, ut idcirco illa coactionem patiantur; iſta non item: prima illa qui non praeſtiterit, *injuſtus* habebitur; iſta qui negaverit, *inhumanus*, aut *immiſericors*; illa ſunt juſtitiae dictata, haec virtutis, eademque *aequitatis* officia recte dixeris. Rurſus fieri poſſe ait, ut jus natura ſua imperfectum, imperfectumque officium abeat in perfectum in caſu extremae neceſſitatis (§. 277.); ego vero adde-

diderim, ſi imperfectum officium in ſtatu civili Lege praecipiatur: utroque caſu per vim adſeri queunt, quae ſecus cujuſque conſcientiae ac pudori fuiſſent relinquenda.

483. Illud in primis cuique perſuaſum eſſe debet, hominem ſibi ſoli non eſſe natum, ſed alterum alterius cauſa eſſe factum. *Non nobis ſolum nati ſumus, ortuſque noſtri partem patria vindicat, partem parentes, partem amici. Atque, ut placet Stoicis, quae in terris gignuntur, ad uſum hominum omnia creari; homines autem hominum cauſa eſſe generatos, ut ipſi inter ſe alius alii prodeſſe poſſint: In hoc naturam debemus ducem ſequi, & communes utilitates in medium afferre, mutatione officiorum, dando, accipiendo: tum artibus, tum opera, tum facultatibus devincire hominum inter ſe ſocietatem*. Ciceronis verba ſunt lib. I. offic. cap. 7., cui conſonat Seneca epiſt. 95. *membra ſumus corporis magni. Natura nos cognatos edidit, quum ex iiſdem, & in eadem gigneret. Haec nobis amorem indidit mutuum, & ſociabiles fecit; illa aequum juſtumque compoſuit; ex illius conſtitutione miſerius eſt nocere, quam laedi; illius imperio paratae ſunt ad juvandum manus. Iſte verſus & in pectore, & in ore ſit: homo ſum, humani nihil a me alienum puto. Habemus in commune, quod nati ſumus. Societas noſtra lapidum fornicationi ſimillima eſt, quae caſura, niſi invicem obſtarent, hoc ipſo ſuſtinetur*. Et Libanius Declam. 19. *hominem quum dico, miſericordiam dico, benignitatem, humanitatemque dico*. Americani novae Franciae incolae, qui juxta naturae ſimplicitatem vivebant, alios homines vocabant *ſui dimidium*, neque ullum ſtatuum diſcrimen agnoſcebant, & quum in Galliam veniſſent Caroli IX. temporibus, interrogati, quid in ea ſingu-

 lare

lare in primis ſibi videretur, inter alia hoc reſponderunt, quod quum quaedam ſui dimidia rebus omnibus abundarent, alia oſtiatim ſtipem quaererent, ab iſtis illa non invaderentur, boniſque omnibus deſpoliarentur; Montaigne lib. 1. cap. 30.

484. Commune bonum privato omnimodis eſſe praeferendum, omni caret dubio; quare quod bonum toti humano generi, aut multis prodeſt, quiſque promovere tenetur. Id vero obtinetur, quum anima & corpus ita excolitur, ut ad producenda aliorum commoda quiſque reddatur idoneus. Contra hoc officium peccant, qui deſidioſam vitam agentes, numerus ſunt, fruges conſumere nati, inutiliaque terrae pondera, opes aliorum labore partas deglutiunt, ac nonniſi multo diſtendere pingui abdomen laborant. Hujus furfuris hominibus hoſpitium in tartaro aſſignat Virgilius Eneid. VI., *qui divitiis ſoli incubuere repertis*; *nec partem poſuere ſuis*; in Elyſiis vero collocat eos, *inventas qui vitam excoluere per artes*, *quique ſui memores alios fecere merendo*. Quare ſummum erit nefas impedimenta objicere iis, qui praeclaris conatibus publico prodeſſe ſatagunt: efficit hoc invidia, quae aliorum praeclare geſtis macreſcit.

485. Definita officia ſunt 1. quae innoxiae utilitatis diximus (§. 472.), *e. g.* lumen de tuo lumine accendere pati, non prohibere profluentem aquam, erranti comiter monſtrare viam, algenti ignem, peregrino hoſpitium permittere; quae ſi quis negaverit, inhumanus erit, belluiſque efferatior. Praeterea quum facile careamus iis, quae nobis ſuperfluunt, vel alioquin apud nos peritura eſſent, humanitatis oſor fuerit, qui ea latere, aut perire potius, quam aliorum utilitati cedere malit, canum inſtar, qui foeno incum-

cumbentes, de quo ipſi edere nequeunt, eſurientes boves morſibus abigunt. Eorum officiorum fundamentum eſt communis omnium natura. Reprehenſus Ariſtoteles, quod pauperi cuidam, attamen improbo ſtipem dediſſet, *non homini*, *ſed humanitati*, reſpondiſſe fertur apud Laërtium lib. V. Quod ſi vero haec officia nobis, aut noſtris, vel amicis nocitura praeviderimus, recte ab iiſdem praeſtandis abſtinebimus: nemo enim alios magis quam ſeipſum amare tenetur; neque ut alterum amemus, alterum odiſſe licet. Hac de cauſa hoſtibus in bello merito ea denegantur. Rurſus quoniam haec officia ſapientiam habent directricem, hinc ſi plures ſimul ea a nobis quaerant, quibus tamen omnibus ſatisfieri nequeat; iis primum erunt praeſtanda, qui graviore neceſſitate premuntur. Quod ſi aequalis ſit omnium neceſſitas, ceteris praeferri debent, qui potiore gaudent jure, nempe uxores, parentes, filii, fratres, ceterique ſanguine juncti, deinde amici, tum populares noſtri, demum reliqui, ſi aliquis iis ſuperſit locus.

486. Sublimior amoris gradus eſt ille, quem beneficentiae vocavimus (§. 473.). Saepenumero incidunt caſus, ut valde infelicem vitam degamus, niſi alii nobis liberaliter impartiantur ea, quibus indigemus, tumque nobis eadem praeſtari cupimus; quare & nos cum aliis ſimilia faciamus oportet. Profecto ita nos finxit natura, ut nihil honeſtius, nihil glorioſius, nihil putemus beneficentia excelſius, ut beneficus homo quadammodo homini Deus evadat. Eſt vero beneficium res aut actio alteri profutura indigenti exhibita, animo utilitatem adferendi; qui animus ſi deſit, nequit beneficium conferenti imputari. Ita non debebat Joſephus fratribus beneficium, quod eorum opera ad ſummam in

Ægypto dignitatem fuerat evectus: fratres ſiquidem iniquum gerebant animum, ac Joſepho maleficium inferre machinabantur. Neque ii, qui propriae ſerviunt utilitati, meritum aliquod ſibi apponi praeſumere debent; veluti qui arbores ſuae voluptatis cauſa plantavit, ſi earum umbra vicinus fruatur. Deinde beneficia ex virtute unice debent proficiſci; quare id nomen haud merentur, ſi ex ambitione, prodigalitate, jactantia, philautia, aliiſque id genus impuris fontibus oriantur. Praeterea indigis ea praeſtari debent, eorumque neceſſitatibus debent accommodari. Hinc beneficus non eſt habendus, qui ſitienti pretioſam veſtem, fameſico gemmam, aegroto epulum offert; nec qui opulentioribus plerumque indignis beneficus eſſe ſtudet: nam praeterquamquod beneficia divitibus praeſtita captatoria plerumque & hamata eſſe ſolent; qui ea recipit, nihili habet. Magno Alexandro jus civitatis offerebant Corinthii; riſit ille: legati tunc miſſi ſunt, qui dicerent; atqui hoc nemini dedimus, praeter quam Herculi, & tibi. Quam ridicule! quaſi orbis dominator hoc civitatis Corinthiacae jure indigeret. Hilari quoque animo, benevolo, celeri praeſtanda ſunt beneficia: nam juxta vetus adagium, *qui cito dat, bis dat*. Gratioſum denique debet eſſe beneficium: ſecus mercenarium erit, atque ad commercium potius, quam ad beneficentiam pertinebit. In praeſtandis beneficiis, ſapientiae regulae ob oculos habendae ſunt (§. 479.); duoque vitanda ſunt extrema, avaritia nimirum, & prodigalitas. Sunt quippe, qui beneficos ſe putant, ſtatim ac *panis quadrum, aut ſtipem aeris abjecti* dederint, uti ait Seneca de Benef. lib. IV. cap. 29: avaros hos dico. Sunt e contrario, qui profuſas largitiones ſine prudentia exercent, hoc modo ſe beneficos eſſe

rati. Hinc vero fit, ut ipſi in ſummam deveniant egeſtatem, ut idcirco ſibi, ſuiſque noceant; ut largiantur indignis, qui beneficio ad vitam inertem, mollem, flagitioſam abutantur, vel ab honeſtis artibus avocentur: (peſtiferas largitiones perbelle vocat Cicero lib. 2. off. cap. 11.); ut dignos homines, quorum miſereri oportebat, praetereant. *Benefacta male locata malefacta arbitror*, optime ait Ennius apud Ciceronem lib. 2. offic. 13. Verbo dicam: benefacta, quae neceſſitatem, aut veram utilitatem non reſpiciunt, malefacta ſunt habenda; nihil itaque temere fiat, temeritateque remota, gratiſſima erit liberalitas.

487 Beneficia ſunt omnis generis *eleemoſynae*, quae non aliud, niſi *commiſerationes* ſignificant: eſt autem miſericordia juxta Stoicos, *aegritudo ex alterius miſeriis injuria laborantis*. Quare perſpicaciſſime ſcribit Auguſtinus Enchir. cap. 72. eleemoſynas eſſe praebere *eſurienti panem, ſitienti potum, nudo veſtimentum, peregrinanti hoſpitium, fugienti latibulum, aegroto, vel incluſo viſitationem, captivo redemptionem, debili ſubvectionem, caeco deductionem, triſti conſolationem, non ſano medicinam, erranti viam, deliberanti conſilium, & quod cuique neceſſarium eſt indigenti*. Haud leve quoque eſt beneficium, in exigendo non acerbum ſe exhibere; a litibus quantum liceat, ac paulo plus etiam quam liceat, abſtinere; in contractibus multa multis de jure ſuo concedere. Ceteris autem longe ſunt praecellentiora beneficia publica, quae nempe patriae, genti, nationi proſunt. Sane cari ſunt liberi, cari parentes, propinqui, familiares, amici; omnes omnium caritates patria una complectitur, pro qua civis quiſque bonus mori non dubitabit, ſi ei ſit profuturus. Igitur agreſtem po-

pulum docere artes; aut artium collegiis juvare; praeclaris inſtitutis continere; in pietate, juſtitia, humanitate erudire; hoſtes vi manuque, aut conſilio depellere; ad pacem & mutuam amicitiam conciliare: haec ſcilicet beneficia ſunt, quae *homines Dis immortalibus aequant*. Optimae quoque impenſae ſunt, muri, navalia, portus, aquarum ductus, omniaque, quae ad uſum Reip. pertinent; bonuſque civis opes ſuas ſumma cum laude in his agendis impendet.

488. Ea eſt amoris indoles, ut ei plus tribuamus, a quo plus diligimur; quum igitur eximius amor ſit beneficentia (§. 486.), liquet eſſe valde amandos benefactores: atvero amor erga benefactores vocatur gratus animus, vulgo *gratitudo*. Haec vero tribus praecipue in rebus conſiſtit. Primum, ut accepti beneficii perpetua nos teneat memoria. Alterum, ut quantum poſſumus, beneficia beneficiis rependamus, imo & majore menſura retribuamus. Imitari debemus fertiles campos, qui multo plus afferunt, quam acceperunt. Poſtremum illud eſt, ut ſi rependere nequeamus, gratiarum ſaltem actione, amicitia, obſequio, reminiſcentia retribuamus.

489. Gratitudini opponitur *ingratitudo*, de qua ſcripſit vetus Poeta

Ingrato homine nil terra pejus creat.

Sane & animantes inſtinctu quodam agi videmus, ut memores velut beneficiornm ſe probent; inhumanus itaque, ipſiſque belluis ferocior eſt homo ingratus. Duplex vulgo diſtingui ſolet ingratitudo, *ſimplex* nimirum, quam & *negativam* recte dixeris; & *atrox*, ſeu *praegnans* altera: illius reus eſt, qui beneficii obliviſcitur, vel illud diſſimulat, vel negat, aut non retribuit, quum

quum poſſit; iſtius vero eſt reus; qui beneficia maleficiis, atque injuriis penſat: monſtrum horrendum, ingens! Quum autem nemini ſit aegre faciendum (§. 221.); dupliciter procul dubio peccat, qui benefactori infert injuriam. Civiles etiam leges actionem dant quandoque ex ingratitudine, veluti adverſus liberos alimenta negantes, & adverſus ingratum libertum, ut in ſervitutem revocetur.

490. Magni facienda eſt officioſitas, quae quamvis verum non ſit beneficium (§. 478.), ſatis bene tamen nobis conſulitur, ſi quo tempore indigemus, neceſſarias res accipiamus, quas, finita neceſſitate, reſtituamus; praeſertim vero, ſi quae praeſtantur majoris ſint, quam ut mercedem admittant, vel ab eo praeſtantur, quem officii ratio non devincit. Luculenter id explicat Seneca *de Benef.* VI. 15. *Iſto modo ne medico quidquam debere te, niſi mercedulam dices, nec praeceptori, quia aliquid numeraveris. Atqui omnium horum apud nos magna caritas, magna reverentia eſt. Adverſus hoc reſpondetur, quaedam pluris eſſe, quam emuntur. Emis a medico rem inaeſtimabilem, vitam ac valetudinem; a bonarum artium praeceptore ſtudia liberalia, & animi cultum; itaque his non rei pretium, ſed operae ſolvitur; quod deſerviunt, quod a rebus ſuis avocati nobis vacant; mercedem non meriti, ſed occupationis ſuae ferunt.* Et cap. 16. *Quid ergo? Quare medico & praeceptori plus quiddam debeo, nec adverſus illos mercede defungor? Quia ex medico, & praeceptore in amicum tranſeunt, & nos non arte, quam vendunt, obligant, ſed benigna, & familiari voluntate.*

CAPUT XVI.

De Jurium Colliſione.

DEFINITIONES.

I.

491. Colliſio jurium eſt eorumdem pugna, ita ſcilicet, ut ſervari nequeat unum, quin alterum laedatur.

COROLLARIA.

492. 1. Quoniam jura omnia univerſalis lex mundana tuetur, cuſtodit (§. 152.); vera jurium colliſio eſſe nequit, quin & vera ſit legum pugna.

493. 2. Quoniam univerſalis mundana eſt ipſa ſumma Dei ratio (§. 4.), nulla dari poteſt legum, juriumque pugna, quin ſibi contradicat Dei ratio; quod eſt abſurdiſſimum. Praeterea tota lex mundana ad hanc unam ſimpliciſſimam revocatur, *ſervanda eſſe cujuſque jura* (§. 109.) jamvero ſi vere colliduntur jura, unum ſervari nequit, quin alterum laedatur (§. 491.); rurſus ergo mundana lex ſibi contradiceret. Accedit, quod neceſſaria eſſet legis violatio, proinde neceſſario peccaretur; quod eſt abſurdum (§. 58. 63. 93.). Si qua igitur eſſe videtur jurium colliſio, apparens ſit oportet.

II.

II.

494. *Neceſſitatem* hic intelligo eum hominis ſtatum, in quo legi ſine ſui periculo obtemperare nequit.

III.

495. *Neceſſitas extrema* ea eſt, in qua periculum vitae imminet.

SCHOLION.

496. Si vitae non imminet periculum, pro hujus magnitudine *major*, aut *minor* erit neceſſitas; *gravis* quidem, quae prudentem coſtantemque virum perturbat; ſi ſecus, *levis* dicetur neceſſitas. Sane occurrunt calamitates, quae viro vel conſtantiſſimo terrorem injicere poſſent, veluti intolerabiles dolores, orbitas oculorum, aerumnaeque ſimiles. Rurſus neceſſitas *abſoluta* eſt, quae nullo alio modo evitari poteſt, quam violata lege; vel *reſpectiva*, quam alius quidem poſſet evitare, at non hic homo, qui jam in illa verſatur.

IV.

497. *Favor neceſſitatis* eſt ſtatus ille hominis, in quo excuſari meretur a Legis obſervantia.

AXIOMA I.

498 Naturae leges negativae Deum ipſum reſpicientes nullum admittunt favorem neceſſitatis; Officia namque iis legibus praecepta ejuſmodi ſunt, ut ſine Dei ignominia numquam intermitti

ti poſſint : veluti *non pejerabis*, *divinos honores nemini tribuito*; id genus alia.

COROLLARIUM.

499. Non ſemper verum eſt tritum illud ſermone proverbium, *neceſſitas non habet legem*. Iniquum eſt illud Euripidis, *quoties periculum eſt, ex mea ſententia neceſſitati debet & lex cedere*. Improbum quoque illud Claudiani, *ſuprema pericula ſemper dant veniam culpae*. Rectiſſime vero ajebat Juvenalis Sat. VIII.

Ambiguae ſi quando citabere teſtis
Incertaeque rei, Phalaris licet imperet, ut ſis
Falſus, & admoto dictet perjuria tauro;
Summum crede nefas animam praeferre pudori,
Et propter vitam vivendi perdere cauſas.

Sane Dei jura primitiva ſunt, aeterna, immutabilia, infinita, quae nunquam laedere licet.

AXIOMA II.

500. Naturales leges poſitivae officia adverſus Deum praecipientes favorem neceſſitatis admittunt; modo tamen iis ne lex etiam negativa implicetur.

SCHOLION.

501. Hujuſmodi leges non obligant quocumque temporis inſtanti, quare ſi imperioſa urgeat neceſſitas, poſt eam elapſam illis legibus ſatisfaciam. Deinde eaedem ipſae leges occaſionem, & facultatem exequendi rem praeceptam requirunt; deeſſe au-

autem moraliter cenſetur occaſio & facultas, ubi mihi eſt pereundum, aut grande malum mihi eſt devorandum. Ita Machabaei ſancto die Sabbathi adverſus hoſtes armis ſe defendere conſtituerunt, ne ſimul omnes morerentur. Machab. I. c. 2. 40. 41. Neque nos die dominico arma capere dubitaremus, ſi ad portas eſſet Hannibal, memores illius Chriſti Domini, non eſſe hominem propter ſabbathum, ſed ſabbathum propter hominem. Quod ſi vero ita comparata res eſſet, ut actionis omiſſio in Dei injuriam vergeret; dira quaeque ſubeunda eſſent potius, quam ut praecepta actio intermitteretur. Hinc ſi inter orandum hoſtes me trucidare aggrediantur, ab oratione deſiſtam: at ſi in Dei contemtum id facere intelligant, eorum furori cedam, ne divinus honor aliquid capiat detrimenti. Ita Daniel non omittebat ter in diem in genua provolutus Deum orare, etſi non ignoraret ob Regis edictum imminere ſibi mortem: intelligebat enim, omiſſionem illam a Dei contemtu non poſſe ſejungi. Daniel. VI. 10. Eadem ex cauſa Eleazarus, aliique ſeptem Judaei fratres mortem potius oppetere maluerunt, quam ſuillam carnem edere, quia iis ſub circumſtantiis eſus ille carnis indicium erat ejuratae religionis. Machab. II. cap. 6. & 7.

AXIOMA II.

502. Officia naturalia erga ſeipſum ſunt in ratione geometrica boni aut mali phyſici actionibus inhaerentis (§. 161. 163. 171.).

COROLLARIUM.

503. Minora jura deſinunt eſſe jura, quum potiora in eadem perſona concurrunt; atque ubi majora bona in conflictum veniunt cum minoribus, ſilet lex de minoribus conſervandis: ſecus, mundana lex ſecum ipſa pugnaret; rerumque ordo evaneſceret, qui in relationum nexu, earumque conſervatione conſiſtit (§. 27.). Deinde jura nobis dedit lex mundata ad noſtram felicitatem; haec vero majoris boni aſſequutione obtinetur, quamvis boni alicujus minoris detrimentum facere cogimur: non ſecus ac ſi mobile oppoſitis viribus urgeatur, motus fit juxta directionem vis praepollentis, cujus remanet exceſſus, vi minore prorſus peremta (Phyſ. Univer. §. 174.).

SCHOLION.

504. Periclitor vita, niſi brachium amputem: ſilet lex de membrorum integritate aſſervanda; quare brachium amputabo: adhuc enim vita vitalis cum uno brachio; ſatiuſque eſt eſſe, quam nullus eſſe. Fame peream, niſi laborem; ſit autem labore vita brevior: laborabo, vitamque breviorem fieri ſinam.

AXIOMA IV.

505. In pari caſuum neceſſitate quoad eamdem perſonam omnis ceſſat obligatio.

SCHOLION.

506. Loquar, aut taceam, mortem ſubibo; faciam uti libuerit; nullaque me devincit loquen-

quendi, aut tacendi obligatio, modo tamen ſciſcitanti nullum ſit jus interrogata ſciendi. Infrequentiſſimus autem eſt hic neceſſitatis caſus, & ex errore, phantaſia, affectibus plerumque habet originem.

AXIOMA V.

507. Nunquam innocentis jura licet *directe* adgredi, ut noſtra ſerventur.

SCHOLION.

508. Finge id eſſe licitum, jam meo jure uti queam, nec proinde innocenti faciam injuriam; ejus itaque jura non jura erunt. Imperet *e. g.* inſtans tyrannus ut innocentem occidam; haud facere licebit. At mortem occumbam, niſi fecero; occumbam: ſupremus quippe Imperans, a quo vita nobis veluti precario conceditur, in hoc me diſcrimine conſtituit. Fallitur itaque Puffendorfius lib. I. de J. N. & G. cap. 5., ubi ſpeciem ponit carnificis, qui ſciens hominem aliquem eſſe innocentem, eumdem interficere jubetur, interficiendus & ipſe ni fecerit, eumque abſolvendum eſſe ait, quippe qui alieni criminis ſit exequutor, ac meri inſtrumenti inſtar ad innoxii hominis caedem concurrere cenſetur: non tamen recte. Nam 1. nihil agendum eſt contra conſcientiam juxta illud rationis principium, quod ſupra de conſcientia agentes (§. 95.) ſtatuimus. 2. quia metus utcumque gravis involuntariam non conſtituit actionem (§. 101.) 3. nimis inficetum eſt, quod ſtatuit Puffendorfius, carnificem nempe ut me-

rum

rum phyſicum inſtrumentum concurrere. Tantumdem ne ei videtur carnificis actio, & gladii, vel ſecuris motus? Vah! Quod ſi vero fuga mihi conſulturus, ut injuſtam mortem effugiam, alterum in via obterendum praevideam; quaelibet honeſta ratio erit expediendae ſalutis, neque ſugere vetabor: nam ſi quod obvenit innocenti malum, nonniſi *oblique*, & *ex accidente* conſequitur, quum fuga ad hunc finem neque per ſe tendat, neque fuerit a me ſuſcepta.

509. Plura liquent ex dictis. Primum eſt, illicitum eſſe omne abortionis poculum *directe* intentatum. Nam ſi animatus eſt foetus, innocentis homuncionis mors procuratur: ſi inanimatus, univerſali mundanae Legi contraitur, quae illum vitae agendae deſtinavit; quare & ejus vita veluti in anteceſſum perimitur. Alterum eſt, licere mulieri graviter decumbenti uti pharmacis morbo expellendo neceſſariis, licet ex iis poſſit *ex accidenti* conſequi abortus, qui nonniſi *oblique* permitti cenſetur. Tertium eſt, culpa non vacare foetus mortem *directe* intentatam, ne praegnans mulier pereat, quidquid in contrarium dixerint molliores quidam caſuiſtae, qui innocentiſſimum foetum injuſto maternae vitae aggreſſori aequiparare auſi ſunt. 4. in extrema neceſſitate in rem alienam manus immittere licebit, quia reviviſcente quodammodo communione poſitiva (§. 277.), nullius jura invaduntur. 5. eadem de cauſa ſi quis arma ſua apud te depoſuerit, eaque depoſcat quo tempore in extrema neceſſitate verſaris, a qua evadere nequeas, niſi iis te armis defendas, reſtituere non teneris: lex namque depoſiti reſtituendi (§. 370.) cedit legi te defendendi. Quod ſi vero in eadem neceſſitate verſari contingat deponentem, reſtituere

re teneris: facta ſiquidem jurium comparatione, uno jure amplius alium potiri comperies, nempe jure depoſiti repoſcendi, quod a te laederetur, niſi reſtitueres. 6. in naufragio ſi quis tabulam primus occupaverit duobus ſuſtinendis ineptam; non poterit alius eidem tabulae ſe injicere primum illum ſecum perditurus: nam in pari neceſſitate remanet jus primi occupantis, quod *directe* ab alio invaderetur. Contra vero liceret primo illi alium inſilientem repellere, veluti injuſtum vitae aggreſſorem. 7. in pari neceſſitate, juriumque aequalitate, nil uni adverſus alium moliri licebit, ſed divinae providentiae totum eſt committendum negotium. Huc pertinet caſus triſtiſſimus de ſeptem Britannis, qui vaſtum in mare projecti, fame ſitique adacti (*nihil enim odioſo ventre impudentius, & qui ſui neceſſario meminiſſe jubeat*), in unius mactationem conſentientes rem ſorti commiſerunt, uti ex Tulpii obſervationibus refert Zieglerus ad Grot. de J. B. & P. lib. II. cap. 2. Eos quidem in terram delatos judex homicidii abſolvit; verum haud facile abſolvet Fiſcus divinus, qui quum nemini dederit jus in propriam vitam, non potuit eorum Britannorum quiſquam propriae caedi conſentire, ut vitae ſuae jactura aliorum famem expleret; nec reliqui in ſocium ſuum ſaevire debuerunt, ut ſtomacho ſuo conſulerent, quidquid in contrarium ſuſpicetur Puffendorfius lib. II. de J. N. & G. cap. 6. §. 3., ubi & aliam ſpeciem ponit diſcutiendam, nempe ſi in naufragio ſcapham ſimul arripuerint plures quam illa ferre poſſit, quaeque ad eorum quemquam peculiari jure non pertineat: num forte ſint ducendi qui projiciantur; & ſi quis eorum ſortiri detractaverit, ab aliis in mare praeceps agi queat, tamquam qui omnium interitum quaerat.

Nihil & in hac ſpecie immutandum eſſe reor : nemini ſiquidem in alterius vitam jus eſt ; & qui in ſui interitum conſentit , aeque reus habetur , ac qui ſe aliumve occidit . Atque haec de apparente jurium colliſione.

Explicit liber I. Juris naturalis .

IN-

Digitized by Google

INDEX RERUM

Numeri arabici paragraphos denotant.

A

Acceſſio naturalis 286. *induſtrialis* 287. *mixta* 289. *quid de iis omnibus ſit dicendum citata indicant loca.*

Actio quid ſit 31. *actio naturalis* 55. *actio interna, & externa* 57. *actio humana* 58. *actionis humanae principia conſtitutiva* 59. *ſolae humanae actiones lege dirigi poſſunt* 63. *actionis humanae circumſtantiae* 68. *actio moraliter bona* 83. *moraliter mala ibid. juſta aut injuſta* 84. *actio ex integro bona* 91. *actio indifferens* 92. *an detur ibid. actionis cauſa phyſica, & moralis* 93. *actio coacta non imputatur* 100. *actio ex metu procedens imputatur* 101. *actio humana ad Deum dirigenda* 139.

Amor 471. *amor humanitatis* 472. *beneficentiae* 473. *amicitiae* 480.

Aſſecuratio 458. *quando ſit licita* 459.

Aſſertio nuda 322. *obligationem non producit* 323.

B

Beneficentia, beneficium 473. *ad eam obligatio* 486. *varia beneficiorum genera* 487.

Blaſphemia 122.

C

Caſus fortuitus 209.

Ceſſio 290.

Commercium 343.
Commodatum 359. 363. *Commodantis & Commodatarii officia* 364
Communio poſitiva 260. *negativa* 262.
Compenſatio 461.
Conditionis defectus 464.
Condonatio 462.
Conſcientia quid ſit 69. *quot ejus diviſiones* 70. *& ſeqq. non eſt humanarum actionum norma* 76. *conſcientia valde probabilis a peccato excuſans* 97. *conſcientia tuta* 74. *In hypotheſi conſcientiae dubiae, aut probabilis quid ſit agendum* 90.
Conſenſus expreſſus, tacitus 333.
Correalis obligatio 446. *correorum obligationes* 452
Contractus 342. *gratuitus, aut oneroſus* 344.
Culpa 207. *quotuplex ea ſit* 208. *culpa in contractibus praeſtanda* 365.
Cultus Dei internus 116. *externus* 117. *cultus Dei indignus fugiendus* 147.

D

Damnum 205. *ejus reparatio* 250.
Defenſio ſui violenta 158. *an ſit licita* 186. *& ſeqq. adverſus quos ſit licita* 191. *pro quibus rebus ſit licita* 192. *an etiam praecepta* 196. *& ſeq.*
Dei mens rerum omnium eſſentias, ex iiſque manantes veritates comprehendit 16. *Dei voluntas ſua ſapientia tamquam norma regitur* 23. *Dei bonitas habenda eſt, uti divinitatis centrum* 23. *ſine Deo nulla eſſe poteſt lex naturalis* 38.
Delegatio 470.
Depoſitum 367. *miſerabile* 368. *deponentis, ac depoſitarii officia* 370.
Diſſenſus mutuus 463.
Divinatio 125. *Diviſio* 290.

Do-

Dolus malus 204.

Dominium 256. *ejus partes* 257. *ejus origo* 272. *quibus in rebus dominio ſit locus* 278. *maris dominium an haberi poſſit ibid. originarii modi adquirendi dominii* 281. *ſeqq. derivativi* 290. *ſeqq. ex teſtamento* 297. *ab inteſtato* 300.

E

Emtio venditio 464. *per auctionem* 406. *per averſionem* 408. *emtio ſpei* 410. *quando perficiatur* 405. 415. *in emtione venditione quid ſit addictio in diem* 411. *quid lex commiſſoria* 412. *quid pactum de retrovendendo* 413. *protimeſeos* 414. *fieri debet mercis exploratio* 415. *an mercis vitia ſint a venditore manifeſtanda ibid. pretio ſummi & infimi limites in emtione* 417. *ſeq. periculum plerumque emtoris in perfecta emtione* 419. *apponi poſſunt conditiones modo non improbae, aut fraudulentae* 421. *monopolium quid ſit* 422. *plerumque illicitum* 423. *ſeq. quandoque licitum* 425.

Evictio 268. *evictionem praeſtare quid ſit* 269

F

Falſiloquium 213. *officioſum* 214. *an ſit licitum* 231. *ſeqq.*

Felicitas hujus vitae in quo ſit poſita 161.

Fidejuſſio 445. *beneficium excuſſionis vel ordinis in fidejuſſione* 449. *beneficium diviſionis* 450. *fidejuſſorum obligatio* 451. *quibus in rebus locum habeat fidejuſſio ibid.*

Fraus 301.

Fructus pendentes 306. *percepti* 307. *percipiendi* 308. *extantes, conſumti* 309. *naturales* 310. *civiles ibid.*

Furtum 303.

G

Gratitudo 477. *ad eam obligatio* 488.

H

Hobbeſii dogma de juſto & injuſto 31.
Homo exlex eſſe nequit 33. *humana ratio immutabilis* 18. *eſt participatio divinae intelligentiae* 19.

I

Idolum 119. *idololatria* 120.
Ignorantia quotuplex 77. *ſeqq. a peccato excuſans, vel non excuſans* 95.
Imperium Dei morale 9. *naturale* 10.
Impietas 121.
Imputatio 85. *cui imputatur actio* 86. *imputatio ut fieri poſſit, quid ſit opus* 87. *imputatio actionis ex metu, vel cum metu* 101. *ex concupiſcentia* 103.
Intellectus vitia 77.
Interitus rei quando tollit obligationem 467.
Jusjurandum 238. *an licitum* 239. *jurata aequivocatio an licita* 241. *jurata promiſſio per injuſtum metum an obligatoria* 246. *ſeqq. ei non ſatisfit per cavillationem* 249.
Jure ſtricto deberi quid ſit 475.
Juſtitia 201. *expletrix, vel attributrix* 204.

L

Lex aeterna 2. *univerſalis mundana* 4. *naturalis* 7. *Legis naturalis principia immutabilia* 24. *ejus exiſtentia* 26. *ſeqq. lex aeterna, & naturalis non ex Dei voluntate, ſed ex Dei ratione eſt de-*
ri-

rivanda 29. *Pufendorfii aliorumque objectiones diluuntur* 30. *legis naturalis notitia non eſt innata* 40. *Leges negantes Deum reſpicientes favorem neceſſitatis non admittunt* 498. *poſitivae plerumque admittunt* 500. *quae ſemetiſpum* 502. *ſeqq. quae alios* 507. *leges naturales in apparenti dumtaxat conflictu eſſe poſſunt* 493.

Locatio conductio 126. *locatoris*, & *conductoris officia* 128.

M

Magia 124. *ſuperſtitioſa* 123. *religioni adverſatur* 147.

Mandatum 372. *mandantis ac mandatarii officia* 375.

Mendacium 212. *ſemper vetitum* 230.

Metus 101. *quotuplex ſit ibid.*

Mohatra contractus 394.

Mors quales tollit obligationes 466.

Mutuum 376. *in eo transfertur Dominium* 381. *an in eo licitae ſint uſurae* 382. *ſeqq. in ejus reſtitutione quinam pecuniae valor attendi debeat* 392.

N

Neceſſitas 494. *extrema* 495. *gravis*, *levis*, *abſoluta*, *reſpectiva* 496. *ejus favor* 497.

Norma humanarum actionum 33. *ejus conditiones* 38.

Novatio 469.

Numiſma 350. *ejus uſus antiquiſſimus* 355. *ejus conditiones* 356. *ejus valor* 357. *ſeq.*

O

Obligatio 34. *interna*, *externa*, *perfecta*, *imperfecta ibid. ad ſatisfaciendum* 250.

Occupatio 265. *per univerſitatem*, & *per fundos* 266. *licita eſt* 275. *quanta eſſe debeat* 276.

Officioſitas 478. *magni eſt facienda* 490.

Officium 108. *quotuplex* 109. *ſeqq. officia ex rerum relationibus derivanda* 113. *erga Deum theoretica* 129. *ſeqq. practica* 132. *ſeqq. ex cultu externo* 142. *ſeqq. erga ſeipſum non ſejungenda* 163. *ratione intellectus* 164. *ſeqq. ratione voluntatis* 169. *ſeqq. ratione corporis* 172. *ſeqq. ratione ſui totius* 175. *ſeqq. ratione rerum*, *quibus indiget* 197. *ſeqq. officia perfecta adverſus alios abſoluta quo axiomate nitantur* 220. *quo fundamento* 221. *quaenam ea ſint* 222. *ſeqq. hypothetica* 256. *ſeqq. officii perfecti & imperfecti diſcrimen* 482. *officia adverſus alios imperfecta* 483. *ſeqq. officia indefinita humanitatis* 474.

Olla fortunae 454. *quando licita* 459.

P

Pacta 326. *unilateralia*, *ac bilateralia* 327. *obligatoria*, *liberatoria*, *mixta* 329. *infantium*, *amentium*, *ebriorum irrita* 334. *ſeq. ex ignorantia*, *aut errore invincibili*, *ex injuſta vi metuve irrita* 336. *ſeq. de rebus impoſſibilibus* 339. *pure*, *ac ſub conditione* 340. *acceſſoria* 434. *antichretica pignori adjecta* 439. *an licita* 442.

Permutatio 395. *ſimplex* 397. *aeſtimatoria* 398. *ejus ſpecies* 401.

Perſona moralis 111.

Pignus 434. *pignus luere quid ſit* 437. *in quo differt ab hypotheca* 438. *jus pignoris*, & *hypothecae* 440. *lex commiſſoria pignori adjecta an ti-*

licita 443. *pactum antichreticum adjectum* 439. *debitoris & creditoris officia* 442.

Polytheiſmus 128.

Poſſeſſor bonae fidei quibus fruitur juribus 318. *malae fidei* 319.

Precarium 360.

Pretium 345. *vulgare* 347. *eminens* 349. *affectionis* 351. *pretii vulgaris, & eminentis conditiones* 353. *ſeq.*

R

Rapina 303.

Religio 115. *vitia ei oppoſita* 145.

Reſervatio mentalis an liceat 237.

Res fungibiles 271. 287. *ſeq. res nullius* 258.

S

Sermo 210.

Societas 429. *univerſalis, & particularis* 430. *leonina* 431. *in particulari ſervanda eſt geometrica aequalitas* 432. *in univerſali quid obſervandum* 433.

Solutio 460.

Specificatio 270. *Sponſio* 453. *quando licita* 459.

Status mutatio quando tollit obligationes 465.

T

Temporis lapſus obligationem tollens 464.

Traditio 293.

Tranſactio 330.

Triplex contractus an licitus 444.

V

Vana obſervantia 126.
Voluntas antecedens, & *conſequens* 102.
Uſura 379. *an licita in mutuo* 382. *ſeq. an in* [a]*lio contractu ibid.*
Uſus 310. *uſusfructus* 311.

ANT 1318174